

ADDENDORVM LEXICIS LATINIS

SVBRELICTA

COLLEGIT

C. PAVCKER.

---

DORPATI

C. MATTIESEN TYPIS DESCRIPSIT

MDCCCLXXII.

AD

# S O L L E M N I A

CAESAREAE

# VNIVERSITATIS DORPATENSIS

QVAE

QVO DIE HAEC ACADEMIA OLIM CONDITA EST

DIE XII MENSIS DECEMBRIS A. MDCCCLXXII

HORA XII IN AVLA MAGNA

ORATIONE

ARTHVRI AB ~~E~~TTINGEN

P. P. O.

ET

RENVNTIATIONE

VICTORVM IN ERVDITIONIS CERTAMINIBVS PRAEMIA ADEPTORVM

PUBLICE AGENTVR

## RITE CONCELEBRANDA

DOCTORES OMNIVM ORDINUM AMPLISSIMOS ET COMMILITONES HUMANISSIMOS  
ET QVICVMQVE REBVS NOSTRIS LITTERARVMQVE STVDIIS BENE VOLVNT

OMNI QVA PAR EST OBSERVANTIA

INVITAMVS

RECTOR ET SENATVS.

---


INSVNT CAROLI PAVCKERI ADDENDORVM LEXICIS LATINIS SVBRELICTA.

---

DORPATI LIVONORVM

C. MATTIESEN TYPIS DESCRIPSIT.

AD PETITIONIS  
UNIVERSITATIS DOBRPATENSIS  
TARTUENSIS  
ESTABLISHED BY THE  
CITY OF TARTU  
IN 1632



2815

# SVBRELICTA

## ADDENDORVM LEXICIS LATINIS.

Dum nostra ‘Addenda Lexicis Latinis’ (Dorp. 1872, W. Glaeser) prelo subiacebant, per longum breuiculus libellus spatium temporis, pergenti mihi recentioris Latinitatis reliquias, hoc est posteriorum Hadriani seculo scriptorum libros impigre tractare multa denuo se obtulerunt, quae supplendo esse uiderentur lexicorum defectus. Itaque primum uocum ineditarum, quas e quinti potissimum p. C. seculi scriptis collegeram, aliquot centurias ‘Subindenda Lexicis Latinis’ inscriptas Petropolin misi, ubi in Ephemeridibus (Bulletin) Imp. Academiae Scientiarum t. XVIII, p. 190—231 prodierunt. Nunc autem discessu L. Schwabii desiderantissimi retro collegae uacante interim cathedra, cuius id proprium habetur munus, ut Sollemnibus Natalieis Vniuersitatis nostraræ rite indicendis studiorum aliquod conferre soleat specimen, uicariam ego iussus praestare operam, eorum, quae in collectaneis restabant Addendorum Lexicis subrelicta, maiorem partem praerogaui, reliqua alias editurus.

In parte I uocabula continentur, quae nondum regesta sunt in lexica latina, aut certe absunt a lexicis Gesneri, Forcellini (ed. in Germ. prima, Lips. 1839), Freund, Klotz, Muehlmann (Thesaur. d. class. Lat.), Georges (ed. VI), nec non ab Addendis Lex. Lat. Quicherat, Ott, aliorum. His subiecimus indicem uoces quadripertita nostra opera conquisitas cunctas complexum atque in uno conspectu ponentem.

In parte II uoces alias (e recentioribus fere scriptis) composui non item nouas atque ineditas, sed parum adhuc uel parcius testimoniatas in lexicis, nouis nunc auctoritatibus auctas ac suffultas. Qua in re (ex quo quidem illuc quoque animum

aduerti) id in primis egi, ut ne quas praetermitterem in lectione uoces, quas singulis adhuc uel singulorum auctoritate cernerem niti, quin eas nouae attestationis accessione e solitarietatis, ut ita loquar, specie uel suspicione exemptas Latinitati ipsi ac consuetudini, sui quidem temporis, studerem vindicare. Porro non neglexi, si cui uocabulo testimonium afferre potui anterius aetate iis, quibus adhuc statuminabatur. Quae uero maxime frequentantur in scriptis recentiorum, praesertim ecclesiasticorum, uocabula, ea consulto missa feci, rarioribus abditiioribusque contentus, quamvis de nonnullorum ex illis apud posteriores siue ratione usus, siue frequentatu parum aut nihil nos edoceant lexica vulgata — cuiusmodi sunt e. c. collatio, conuersatio, eloquium, exaltatio, iussio, plenitudo, praeuaricator, pertransire, perurgere, praesumere . . ., septiformis etc. Haec praemonuisse satis habui. De ceteris, et omnino si quid hinc bonae frugis peti possit ad percognoscendam linguam latinam, ipse uidebit ac dijudicabit lector eruditus hisque in studiis satis uersatus.

Siglis usus sum peculiaribus huic libello his:

A = Addenda Lexicis Latinis collegit etc. C. P., —

B = Subindenda Lexicis Latinis a quinti potissimum p. C. seculi scriptoribus collegit C. P., —

† = uocabulum omissum a C. E. Georges (Gg.) Ausführl. Lat.-Deutsch. Handwörterbuch, ed. VI, Lips. 1869 (cum idem apud alios lexicographos aut certe apud unum alterumue inueniatur)\*; —

ceteris, ut in superioribus Addendis, quibus uix carere poterit, quicunque his uoleat uti.

\*) Cf. Kleine Beiträge zur lateinischen Lexicographie und Wortbildungsgeschichte I (in: Bulletin de l'Académie Impériale des sciences de St. Pétersbourg t. XVIII, p. 241 ss.), n. 1. In hoc libello inuenies † praenotata uocabula 198, quo in numero insunt sane pauca quaedam, quorum Gg. non est ὅπερθυνος.

DORPATI, a. d. III Non. Dec. MDCCCLXXII.

C. P.

# I.

*Abbreviator*: Isid. Hisp. Prooemior. in Vet. et Nou. Test. 89 *Marcus abbreviator Matthaei*.

*abhorrescere*: Rufin. intrpr. Origenis in Ep. ad Rom. comm. X, 6 *ut . . non spernant eos, abiiciant, abhorrescant, si forte in aliquo infirmitatis uitio uincuntur*.

*ableuare*: Hegesippi uel Egesippi De bello Judaico V, 2 *misericordia quae solet ableuare miserias, solari aerumnas*.

*absedere*: [Boeth.] Contra Eutych. et Nestor. praef. *absederam ab eo, quem maxime intueri cupiebam longius*.

*absolutiuus*: Diomed. I, p. 337 (Gramm. Lat. ed. Keil tom. I) *uerba, in quibus nec agentis nec patientis significatio plene dinoscitur . . , ut sedeo sudo etc., alii absolutiuua, non nulli depositiuua nominant*; — adu. id. p. 388, Charis.

> *accersitor*: Egesipp. I, 40, 12 *statuto Pherora suorum flagitorum accersitore pariter ac teste*, V, 22, — pro arcessitor q. accusator, qua significatione exstat apud Ammianum. Eodem modo uerbum arcessere alii, accersire Egesipp. usurpauit, ueluti I, 41, 8 *Archelaus suspectae in generum accersitus gratiae*; it. Innoc. pap. ep. 31, 4 *si accersiendus esset* (sc. in iudicium).

*adiuuamentum*: Isid. De eccl. off. I, 18, 3 *etiamsi nulla sunt adiuuamenta mortuorum* (adiumentum Cic. cett.).

*adiuuatio*: Diom. I, p. 391. Cf. adiuuamentum s. u., et perf. adiuuaui S. S. Luc. et II Cor. uers. ant. et Dig., adiuuaturus Petron. (Rönsch Itala und Vulgata, Marb. et Lips. 1869, p. 288).

*Aeneanicus*: Priscian. tom. II p. 482 (Gramm. Lat. ed. Keil t. III) *ab eo quod est Aeneas possessuum Aeneius . . et secundum Appuleum Aeneanicus Aeneanica*  
*Aeneanicum*: sic enim ponit in epitomis historiarum ‘*Aeneanica gens*’. Cf. A p. 51, ann. 47.

*aequisonatio*: Boeth. De mus. V, 12 (ib. 11 et 14 aequisonantia).

*affirmatus, u*: [Rufin.] Comm. in Oseam I, ad c. 5, uers. 3 *quid tali affirmatu indicatum uellet*.

*agnotinus*: Diom. I, p. 388 K. *ex quo* (sc. ex eo quod est agnosco) *declinauerunt agnotum* . . , item *agnotinum dixerunt*. Verum hoc declinatum esse uidetur potius ab eo quod est agnus, ut Caprotina (Juno, Nonae Varro, Arn. Macr.) *a capra*.

*aleatrix*: Ps. Cypr. de aleator. 5 *aleatricem manum, quae se ipsa perdit et damnat*; — *aleator uett.*

*alsitare*: Maxim. Victorin. de arte gramm. p. 200 Keil (Gr. Lat. uol. VI) *frequen-tatiua, ut ab algeo alsito*<sup>1</sup>).

*amantia*: Eges. I, 44,5 *exclamauit, et hoc esse amantiae parricidalis, ut amplexum petas cui inuisum te recognoscis, ut horrore tui afficias patrem et contactu noxii corporis uiuendi suauitatem extorqueas.*

> *ancillare*: Ps. Cypr. sing. cler. 40 *uirginitas . . , quae se sola contenta cupi-dinem domat, . . artus debilitat, corpus ancillat*. Notum erat depon. ancillari.

*angulariter*: Boeth. Geom. p. 417 Friedl. *quamuis aut angulariter aut lateraliter a supradictis parallelogrammis dissideant*, ib. p. 427, Syll. Categ. p. 800 D. tom. LXIV Patrol. (Lat.) ed. Migne; ad i. Vitr. all.

*annutatiuus*: Dosith. ars gramm. p. 51 Keil ‘et’ *coniunctio . . adnutatiua et com-promissua, ut ‘dic quibus in terris — et eris mihi magnus Apollo — Tris pateat etc.’* (Verg. Buc. III, 104); — *annutiuus κατωμοτικός* gl.

*antenouissimus* q. paenultimus: Maxim. Victorin. de rat. metr. p. 218 K. *ante-nouissimus pes huius uersus*. Cf. ‘nouissimalis’ inf. s. u.

\* *apparitio* (*ἐπιφάνεια*): Victorin. Petauion. schol. in Apocalyps. ex c. 1, 16 *claritas quod dixit, apparitio illius fuit, qua locutus est hominibus facie ad faciem, „Onom. uet.“* (Forc. s. u.)

> *aqilonaris*: Eucher. lib. formul. 3, — *aqilonalis* Cic. fragm., Vitr.

> *aquimanile*: Paul. Sent. III, 6, 56, — *et aquimanilis*: Isid. ep. 1, 7 *urceolum et aquimanilem et manutergium tenere*; — *aquimionale* Dig. XXXIII, 10, 3.

*arctatio*: Commodian. Instr. u. 619 Pitra. Cf. Od. Mueller. ad Varr. Ling. Lat. V, 6.

*armator, armatrix*: Prisc. p. 463, 11 (Gramm. Lat. ed. Keil t. III), *armator δπλιστής* gl. Cyr.

1) Frequentatiuas uel intensiuas, quas dicunt, formas uerborum inita ratione innueni uett. simplices 133, praepositionatas (ut ex-spectare, ob-uersari) uel a praepositionatis deriuatas (ut cogitare et coactare a co(<sup>i</sup>a)gere) 194, omnino uett. 327, in quis prisc. 64 (Plaut. 35); — recc. tales formas 134 (simpl. 52). Frequentatiua duplicata, ut actitare, auctitare (auctare), alsitare, capitare r., enotauimus 61 (pr. 10, recc. 17). Rarae in tanta quidem copia sunt deriuatae a uerbis denominatiuas formae tales, si sunt tales, h. e. significatu quoque frequentatiuae uel intensiuae, ut accusitare Plaut., coenitare, culpitare Plt., lactitare Mart., lutitare Plaut., nominitare Lucr., puellitari Laber., purgitare Plt., uerberitare, adaequitare Amm.; aliae recc. certe, ut pigritari, fecunditare, non sunt uere frequentatiuae. Cf. A(ddenda Lexicis Latinis, Dorp. ap. Glaeser 1872) p. 1<sup>\*</sup> sq. s. u. adaequitare.

*assisa*, sicut accessa (Seru.), q. accessus maris uel aestuum: Isid. De ordine creatur. 9,7 *impossibile est ut (mare) non aliqua spatia deserat, quando per nostrarum terrarum solum exundat, sicut eadem loca a nobis recedens implet, ut nostra assisa ibi sit recessa, et nostra recessa ibi sit assisa*, ibid. 5 *ledonis assisa . . . malinae assisa.*

*attestator*: Aug. serm. 288,2 *ueritatis.*

*attoncio*: [Rufin.] Comm. in Amos II, ad 7, 4 *multo maiorem esse calamitatem, quam immissa operetur exustio, omni illa, quam germinum afferebat attoncio.*

**Basilicarius** s.: Isid. ep. 1, 14 *ad thesaurarium pertinet basilicarii et ostiarii ordinatio . . . De candelis . . . quidquid superest in basilicis, basilicarius per singulos menses huic deportat cett.*, ib. 13.

> *bacellus*: Hier. reg. Pachom. 81, — *bacillus* Isid., *bacillum* uulg.

*benedicibilis*: Ps. Aug. serm. 120, 6 *benedicibilis salutationis.*

*beniuolenter*: Vita Cypr. 5 *quibus . . . quam beniuolenter indulxit* (beniuolentissime Aug.).

*bicubitalis*: App. herb. 67 *thyrso bicubitali* (id. 71 ‘ramis bicubitis’; Plin. XX, 94, 253 Jan. et Detl. ‘bipedali’).

\* *binio*: Eges. V, 24, 3 *cum . . . aluum purgarent, egesserant aliqui biniones aureos, quos absorbuerant, cum adornarent fugam, -- i. e. „numos duplicitis pretii, maiores“.*

*breuialis*: Rufin. Comm. in Symb. Apost. 3 *uideamus quid iam breuialis hic sermo Symboli proponat.*

*breuiatim*: Isid. De officiis eccles. II, 23, 5 (*symbolum, in quo omnia continentur sacramenta; de totis enim Scripturis haec breuiatim collecta sunt ab apostolis.*

*breuiculus* subst. = *breuis* subst. (cf. HA p. 138) i. *breuiarium, index*: Rufin. Apolog. in Hieronym. II, 36 *accepto breuiculo, in quo militum nomina continentur, — „Codd. Theod. et Just.“ in inscr. tituli ‘de sententiis e breuiculo recitandis’, sed e coni., cum in mss. sit ‘e periculo’.*

*brumosus*: Isid. ord. creat. 6, 8 *nebulosi ac brumosi aeris, gloss.*

**Cachecticus**: Theod. Prisc. II, chr. 19 (Plin. XXXII, 39, 117 nunc legitur ‘cachectis’, a *χαχέκτης*).

*calcatio*: Victorin. Petauion. schol. in Apoc. ex c. 14, u. 19, 20 c. *torcularis.*

*captorium*: Ps. Aug. serm. 205, 1 *ut, qui ante captorium iaciebat in salo, uerbi nunc retia spargat in mundo.*

*castrametari*: Hier. De situ et nom. locor. Hebr. p. 218 Vallars. *ubi castrametati sunt filii Israel, Jorn. hist. Goth. 54 ad amnem Boliam in Pannoniis castrametati sunt, Isid. quo. in Num. 7, 1 sinus maris, iuxta quem castrametati sunt, al., gloss.*

*causalis*: Arn., Aug., Gramm., \* q. morbi causam afferens Ps. Cypr. sing. cler. 6

*causale est omne quod feminae est, et copulatio eius semper infesta est, . . insanabilem ingerit plagam* (causa specialiter q. morbi causa, u. Klotz et Georg. s. u., uel etiam prorsus q. morbus, cf. A s. u. taedium).

*causidicari:* Dosith. ars gramm. p. 59 Keil *causidicor δικολογῶ*, — unde sunt causidicatio Fronton., causidicatus, us gl.

*celatio:* Boeth. Arist. *Analyt.* prior. I, 25 *nisi inductionis aut celationis aut alicuius alius talium gratia.*

> *centipedium:* Exc. de idiom. gener. p. 582 (Gramm. Lat. ed. Keil t. IV) *centipedum σκολόπενδρα;* — al. centipeda.

*centupliciter:* Ignat. ep. ad. Mar. 4 (uers. uet.)

> *cicindile* (q. lucerna): Ps. Aug. serm. 265 (Caesarii), 1 *oleum quod in cicindilibus mittatur,* „Caesar. hom. 21 et 22“, — pro cicindela, quod pr. erat q. λαμπυρίς (ver luisant) Plin., trnsl. pro candela uel lucerna gloss.

*cinerulentus*<sup>2)</sup>: Egesipp. Bell. Iud. V, 53, 1 *miseri seniores cinerulenta canitie et sciso amictu.*

*circumfossio:* Aug. serm. 73, 3 *circumfossio arboris est humilitas poenitentis.*

*circum mouere:* Dosith. p. 62 *circum moueo περικινῶ.*

*circum mundare:* S. S. Isai. (6, 7) ap. intpr. Orig. in Isai. h. 6, 2 *circum mundaui peccata tua* (Vulg. mundaui).

*circumrumpere:* Dosith. p. 63 *circumrumpo περιρρήσσω.*

*circumsoluere:* Dosith. p. 62 *circumsoluo περιλύω.*

*coaeuitas:* Aug. serm. 117, 10 (aequalitatem naturae non inuenis,) *inuenis coaeuitatem . . ; laudas coaeuitatem, sed disparilitatem reprehendis.*

*coalumna:* Ps. Aug. serm. 294 (Caesarii), 6 *contra coalumnam et amicam suam ebrietatem loquentibus irascuntur.*

*coextendere* (*συμπαρεκτένειν*): Mariae epist. ad Ignat. uers. uet. c. 5 *non coextendo me ipsam tantis uobis.*

*colatorium:* Vet. uers. Epiphanius de mensuris 23 *de masmaroth, quae colatoria* (γρ. ueculatoria) *dicimus; interdum uero et ithmoe eodem nomine uocitantur, quod eundem compleant usum* (Epiph.: τὰ δὲ μασμαρῶθ λέγει τοὺς διυλιστῆρας, οὓς καὶ ἡθμοὺς καλοῦμεν χτλ.), „gl. Vat. colatoria, liquatoria“.

2) Cf. puluer-ul-entus, faeculentus, iurulentus Cels., opulentus (-ens), pisculentus, purulentus, rorulentus, recc. carnulentus, florulentus, iussulentus App., sordulentus, et cetera recc. in — ulentus: amarulentus, aurulentus, caenulentus, farinulentus, febriculentus Marc. Emp., foetulentus, glebulentus, marculentus (marcere) Fulg. M. II, 8, merulentus id. ib. I p. 13 M., muculentus, mustulentus, pompulentus Aldh., gl., somnulentus, succulentus, terrulentus (terra) Prud. (crapul-entus Amm., cf. uett. gracil-entus all.).

*collector* (*colligere*): [Rufin.] Comm. in Amos II, ad 8, 1—3 *collectores pomorum*; — *collector* (*con, legere*) Aug.

*combinatio*: Diom. III, p. 504 *combinatis pedibus, id est singulis combinationibus* (uidel. dipodiis), gloss.

*commaculatio*: Herm. Past. I, uis. 2, 2 *commaculationes nequitiae*.

*commaculator*: [Rufin.] Comm. in Oseam I, ad 7, 3—7 *ipse rex commaculator illius dignitatis et sacrilegi fabricator erroris*.

*commercialis*: Fulg. Myth. II, 8 *uitalis succi commerciales transennas interius* (*ρ. iteris, uteri*) *stringens*.

*comminanter*: [Rufin.] Comm. in Amos II, ad 9, 11 sq. *ea, sicut omnes paene prophetae concinenter praedixerant, ita etiam rerum exitus comprobauit*.

*commissalia, um*: [Isid.] Coll. Canon. 7 (conc. Laodic.), 55 *non oportet ministros altaris .. ex symbolis, quae uulgas commissalia appellat, conuiuia* (ἀπὸ συμβολῶν συμπόσια) *celebrare*.

*compraesens*: Ignat. ep. ad Trall. (uers. uet.) 12 *saluto uos una cum compraesentibus mihi* (ἄμα ταῖς συμπαρούσαις μοι) *ecclesiis Dei*.

*compromissio* (quod al. *repromissio*): Isid. De fide cathol. II, 1, 10 *Jeremias gentium compromissionem* (h. e. uocationem aliquando futuram) *sic ostendit ..* (Jer. 3, 17).

*compromissius*: uid. sup. s. u. *annutatiuus*.

*compsallere*: Ps. Cypr. de XII abusiis 11 *Esaias eidem indisciplinatae plebi .. dicens ..* (Isai. 1, 16), *et ad eandem psalmista consona uoce compsalit dicens ..* (Ps. 33, 15),

*compulsus, u*: Mar. Victorin. Adu. Arium I, 45 *factura est, quod a compulso exsilit et ex nihilo est, et praeterea bis ibid.*

*condegere*: Garg. Mart. De arb. pomif. 2, 6 (ne tenero germini noceant flatus herbarum) *neue densitas condegentium solis atque aurae nutrimenta praecludat*.

> *condimentarium subst.*: Schol. Juu. III, 293 ‘*sectile porrum*’, *folia porri siue condimentaria*; — *condimentarius* s. Tert., adi. Plin.

*condiscubere*: Aug. serm. 99, 3 *inuitator ille cum suis condiscubentibus*.

*confibulare*: Nouatian. De Trinit. 23 *ut in semet ipso concordiam confibularet terrenorum pariter atque celestium*.

*confibulatio*: Nouat. Trin. 24 ex. *in eadem utriusque substantiae concordia mutui ad inuicem foederis confibulatione sociatum hominem et Deum*.

*confortator*: Aug. serm. 264, 2 *confortatorem et consolatorem et protectorem hominum*.

> *congelescere*: Ps. Aug. serm. 57,1 *ut in nobis .. uerbum Dei peccatorum frigore congelescat*, Verecund. In cant. Jonae 8; — *congelascere* Gell. Macr., simpl. *gelascere* Plin. In huiusmodi formis inchoatiuis duplicitibus antiquior fere quam *-e-scere* (quae

nonnunquam est denominatiua) forma est -a-scere (a uerb. in — are plerumque deriuata<sup>3)</sup>), nisi quod apud Plin. pariter et gemmascere (gemmare) et gummescere (gemma) leguntur, differente tamen significatu, quodque ad maturescere (maturus) uett. post accessisse uidetur maturascere, si Aug. serm. 223 ex. recte editur ‘ergo reuirescite, granascite, maturascite’, et ad herbescere Cic. affiguratum deinde est perquam irrationaliherbascere, si Onomastico lat. gr. ‘herbascere, βοτανοῦσθαι’ fides est habenda.

*congloriari*: Isid. ord. creat. 15, 1 *cui dum sancti compatiuntur, simul congloriabuntur*, Ps. Cassiod. amic.

*conquaternare*: Victorin. Petau. schol. in Apoc. ex c. 14, u. 19. 20 *quaternitas est conquaternata, . . quater enim quadragies (et quadringtonties) mille sexcenti sunt, gloss.*

*conrequiescere*: Ignat. ep. ad Mar. Cassobolitam (uers. ult.) 4 *uobiscum.*

*consectatus, us*: [Rufin.] Comm. in Oseam I, ad 2, 5—7 *ista impudens mulier consecutui flagitorum faciem utilitatis obtendit*, ib. ad u. 14—17 *consecutu idolorum*, ib. ad 3, 1—5 *consecutu libidinis.*

*conspectabilis*: Ps. Cypr. or. 1, 1 *Pater . . soli Filio conspectabilis* (conspicabilis Prud., Sulp. Seu., Sid., Cl. Mam. an. I, 18, 2).

*constupratio*: Sulp. Seu. ep. (dub.) 2, 11 *si nullam animae constuprationem nosset.*

*consummate*: Hier. Did. de spir. seto 8 *qui spiritum sanctum consummate acceperint.*

*consuscitare*: Aug. serm. 223, 2 *in hac area . . possunt rursus grana de paleis consuscitari* (cf. Rönsch p. 207), — conresuscitauit Vulg. Eph. 2, 6.

*contraiacens*: Boeth. Syllog. Categ. p. 800 B t. LXIV Migne *contraiacentes (propositiones) . . id est a) uniuersalis affirmatiua et a<sup>1</sup>) particularis negatiua, et item b) uniuersalis negatiua et b<sup>1</sup>) particularis affirmatiua, ut: a) omnis homo iustus est, a<sup>1</sup>) quidam homo iustus non est, b) nullus h. iustus est, b<sup>1</sup>) quidam homo iustus est.*

*conuiciose*: Aug. serm. 126, 8 *qui hodie conuiciose clamat, heri libenter audiebat.*

*conuictiuus*: Prisc. Praeexecr. 2, 6 *conuictiuia figura est, qua arguentes utimur*, ib. 7.

*conuiuolum*: Ps. Aug. serm. 173 (Caesarii), 3.

*conuocator*: Aug. serm. 95, 6 *conuiuii conuocator.*

*corpulentiuus*: Phoebadius Contra Arian. 20 *res substantiua ac per substantiam corpulentiuia, — cuiusmodi figurae exemplum alterum non habeo cognitum; non enim eiusdemmodi sunt ea, quae, ut substantiuss, a partic. praes. deriuata sunt: absentius*

3) Cf. labascere (labare), r. labisci Diom. uel labescere (A p. 16 \* s. u.), — purpurascere, r. purpurescere, — siccascere Cat. r. r., siccescere Vitr. Cels. Col. Plin., — de-sudascere Plaut. (consudascere Col.), r. de-sudescere inf. s. u. (sed adsudescere iam Varr.), — con-tenebrascere, r. tenebrescere (et comp., ut contenebrescere Vulg. Hier. in Eccl. p. 485), — tenerascere, pA tenerescere; — stillascere pA, r. ex-stillesscere, — ueterascere Col. (et postt.), r. ueterescere (inf. s. u.), cf. Isid. Diff. I, 608; — utraque sunt recc. corporascere, corporescere, — granascere, granescere, — pauperascere, pauperescere, — diluculascit, diluculescit (gloss.).

Petron., recc. concupiscentius et distantius Tert., continentius et instantius Boeth., uacantius.

*coxendicus*: Placit. 5, 13 *coxendicos emendat*, — idem, ut uidetur, q. coxo Non. p. 16<sup>b</sup> ‘catax quem nunc coxonem uocant’, i. e. coxa uel coxendice laborans (ἢ sync. ε *coxendicus*: cf. HA c. II, s. 4 et p. 54 \*, A p. 30, ann. 32).

*cratella* (ἢ dem. a *cratis*): Exc. de idiom. generum p. 581 Keil (Gramm. Lat. t. IV) *cratella* ξυλοκανθήλιον; — *craticula* Cat. r. r. Mart.

*crepitatus*, us: [Rufin.] Comm. in Joel. ad 2, u. 4—11 *sonitum ei crepitatuī*, quem in stipula solet ignis efficere, comparando.

*crucicola*: Euagrii (sec. V) Alterc. Theophili Christ. et Simon. Jud. in. *crucicola signifer*, *Christianaē legis te profiteris esse auctorem*. Cf. amnicola p(oet.), Apenninicola Verg., coelicola p (\* C. Th. = coeli cultor), Gradiuicola Sil., latebricola Plaut., Marticola Ouid., monticola Ou., Neptunicola Sil., plebicola, Poplicola, ruricola p., seruulicola Plaut., siluicola p., terricola Lucil., postt., undicola Varr., Auien., uiticola Sil.; — recc. Christicola, daemonicola, Delphicola, dumicola, flucticola, fonticola, limicola Aus., multicola „Fulg. contra Arian.“, Nilicola (inf. s. u.), nocticola, paludicola, paradisicola, regnicola, sacrificola Tac. et postt., uentricola, uericola Tert., — praeter pauca illa, quibus auctoris nomen ascripsi, cetera omnia auctorum, qui quinto seculo uixerunt.

*crudelescere*<sup>4)</sup>: Ps. Aug. serm. 55, 1 *ne . . disciplina durior ipsa sui austoritate crudelescat*.

*cumulanter*: [Rufin.] Comm. in Oseam I, ad 7, 9 *cumulanter, non apparuisse canitiem, sed defloruisse et effusam esse, commendat* (ἢ commemorat).

> **D**efatiscere act.: Ps. Aug. serm. 192, 3 *defatidente fide defatiscit et semita*, — pro defatisci.

4) Inter uerba inchoatiuae figurae recc. quae collegi propemodum centum (simplicia duntaxat, absque praepositionatis) pro denominatiuis, sicut crudel-escere, indubitanter habenda sunt haec: (ex)-acerbescere, acetascere, (ex-) aquescere, atrescere, barbescere, bullescere, carbonescere, cinerescere, corporescere, crepusculascere, curuescere, dumescere, famescere, familiarescere, faullescere, (ef)-ferescere, fistulescere, fructescere, frugescere, fumescere, furuescere, gracilescere, granescere (ann. 3), grossescere, herbescere, ignauescere, immanescere, inanescere, iuuenescere, lapillisce, matrescere, niuescere, palmescere, pauperescere, pennescere, phthisiscere, pulchrescere, puluerescere (puluescere), purpurescere, pustulescere, rorescere, segnescere, spinescere, (ex)-stillescere, tenebrescere, tenuescere, uehementescere, ueterescere, uiridescere, umbrescere, unescere, — 52 (a subst. 31, ab adi. 21), cum uett. computauerim 80 (a subst. 27, ab adi., ut e. c. celebrescere et sanctescere Att. trag., — mitescere, rarescere, — crassescere et sterile scere pA, — 53). De nonnullis aliis ambigi potest, sintne a nominibus inclinata ipsis, an mediantibus quibusdam uerbis in-ere aut in-are denominatiuis deriuata. Evidem uix ullum conclassauit eorum, quaecunque aut in-escere terminantia ad extans aliquod uerbum in-ere referri siue debent siue possunt (ut albescere, nigrescere, pigrescere, senescere . . ad albere, nigrere, pigrere, senere . .), aut in-ascere terminantia a uerbo aliquo in-are deriuari siue comparente, ut integrascere u., autumnascere r. ab integrare, autumnare, siue opinabili, ut illuculascit cl. diluculat. At certe mollescere, lentescere . . a mollis, lensus . . figurata esse credo ipsis, quamuis Lucil. lentere, Theod. Prisc. locutus sit mollere.

*defectibilis*: Aug. serm. 362, 11 *cum portamus istam defectibilem infirmitatem, cui etsi cibus nunquam desit . . non tamen efficit, ut mors non sit futura.*

*delatrade*: Boeth. Cons. Philos. I, 5 *haec ubi continuato dolore delatraui* (cf. Peiper ad 1.)

*denariarius*: Volus. Maecian. 75 *posteaquam in XVI asses denarius distributus est, denariaria ratio expeditius confici coepit*, ib. 74, 64. Cf. alia ex -arius finitis denuo in -arius inclinata (recc. omnia et quae ex inscr. innotuerunt): pugillari-arius, salaria-arius (et. Vlp.), sigillari-arius, simpulari-arius, uinari-arius.

*denotabilis*: Dosith. p. 55 *denotabilis persona* (*ὑβρισμένον κατεστημένον πρόσωπον*)

*denuntiatus, us*: [Rufin.] Comm. in Amos II, ad c. 7, 4 *huic quoque denuntiatui audet obsistere.*

*deosculatio*: Hier. adu. Rufin. I, 19 *Hebraei iuxta linguae suae proprietatem deosculationem pro ueneratione ponunt.*

*deplorabilis*: Egesipp. Bell. Jud. V, 53, 1 in. *epilogum quendam claudendo operi deplorabilem more rhetorico non praetermisimus.*

*deplorator*: Aug. serm. 83, 5 *uterque ueniae deplorator et impetrator.* { An-implorator, — quod non magis quam illud lexica agnoscunt.

*derogatiuus*: Diom. I, p. 336 (praeteritum imperfectum est quidem praeteritum, non tamen perfectum; . .) ‘*in* enim praepositio plerumque derogatiua, . . quae addita actui plerumque derogat.

*desudescere*: Compend. Vitruu. 22 *umidi parietes cum picturis ornantur desudescere, et operi obligatus color elui non potest;* — cf. ad ‘congelescere’.

\* *deuotatio*: Egesipp. B. Jud. V, 2 *ubi est illa d. patrum, pulcherrima passionum omnium, qua se . . pro templo Dei morti offerebant?*, — al. (syn. exsecratio) Vulg. Aug.

*dilemmatus*: Rufin. Palaestini De fide 53 *cum . . acceperint a nobis responsum ‘procreauit’ (Deus Filium), statim adiciunt interrogationem huiusmodi, quam Graeci dilemmatum uocant* (Ms. dilemmatum), Mar. Mercat. Subnot. 6, 5.

*dipsychus*: Herm. Past. cod. Palat. 150 (Patr. apost. opera ed. Dressel) II, 10, 2 *quando ille qui dipsychus est aliquem actum explicare uult, (et) exciderit ab eius affectu propter uitium dipsychiae suae, tristitia in illum intrat*, ib. 11 (*διψυχος* N. T. Jac. Philo); — *dipsychia*: ib. 9 *haesitatio, quae et dipsychia est, in nulla re sibi confidit, . . tu itaque serui fidei et dipsychia abstine*, ib. 10, 1 et 2 (uid. p. a.), — *διψυχία* eccl.

> *discalceare*: Hier. ep. 121, 4, Isid. quu. in. Exod. 7, 4 *discalceari iubetur*, in Jud. 9, 6 *discalcearetur*, gl. Phil., — *discalceatus* Suet., Vulg., Hier. ep. 77, 5.

*diuinaculum* (*μαντεῖον*): plur. S. S. uers. uet. Num. 22, 7 (cod. Ashburnham.)

*docibilitas*: Isid. Sent. III, 14, 2, gl.,

*documentare*: Dosith. p. 64 *documento νοοθετῶ*; — *documentatio* gloss.

*dropacista*: Schol. Juu. XIII, 151 *dropacistas*, qui cera de inauratis statuis aurum tollunt.

> **Efferascere**: Egesipp. I, 37, 7 *efferasse postea . . fertur*, nec solum morbo animi laborasse, sed . ., cf. 40, 8; — *efferescere* Amm. (uar. lect.: *efferascere*).

**efflatio**: Hier. ep. 65, 5 *ructus proprie dicitur . . concoctarum escarum in uentum efflatio*.

**encryphias** ( $\varepsilon\gamma\pi\rho\nu\chi\tau\alpha\varsigma \delta\rho\tau\omega\varsigma$ ): Ps. Aug. serm. 3, 2 *consperrgitur similago*, fiunt *encryphiae*, 5, 1 'fac subcinericios panes' (Genes. 18, 6), quod graece *encryphias* dicitur, occultos uidelicet et absconditos indicans panes.

**enuntiatus**, us: Mar. Victor. art. gramm. I, 7 *hae* (mutae consonantes liquidis sociatae) sub uno enuntiatu coniunctae communem syllabam, diuisae autem longam efficient.

**equistrator**: Act. Procons. de pass. Cypr. 2 (p. CXI Cypr. ed. Hartel) *unus strator officii proconsulis et aliis equistrator a custodiis eiusdem officii*.

**euersare** freq. (ab euertere): Prisc. p. 477 (Gramm. Lat. ed. Keil t. III).

**exaltator**: Aug. serm. 207, 1 *uendi redemptorem, humiliari exaltatorem, occidi suscitatorem*.

**excandidare**: Ps. Aug. serm. 246, 4 (sol) et *excandidat et denigrat*. Cf. ad 'roscidare'.

**excisor**: Egesipp. V, 11, 2 *maiorem arietem excisorem urbium Judaei appellauerunt*, gl. Philox. (excisor-ius Cels.)

**excitor**: Egesipp. III, 26 s. f. *tanquam belli excitores et perturbatores concordiae*, schol. Juu. IV, 1.

**excrepare**: Arn. iun. in psalm. 74 *ibi habuistis gaudium, hic mugitum gemitumque inter suspiria excrepate*.

**exinanitas** (q. al. exinanitio): Marius Mercator (Augustini aevo suppar) intrpr. Cyril. apol. adu. Orient. p. 949 t. XLVIII M. *omnia propter exinanitatem uoluntarius nostri causa sustinuit*, ib. p. 959 A(bis), 962 B, 963 B, id. eiud. apol. adu. Theodore. p. 985 *exinanitas Dei Verbi . . est agere aliquid uel dicere humanorum propter conuentionem dispensatoriam carnis*, ib. p. a., 987 A, 988 B, 996 B, 997 C, id. eiud. incarn. Vnigen. 12 s. f., 26.

**explanatiuus**: Mar. Victorin. art. gramm. I, 2 *omne explanatiuarum uocum initium et indiuidua uox est litera*.

**exprobranter**: Ps. Cypr. sing. cler. 33 (insultare alicui).

**exsecratus**, us: [Rufin.] Comm. in Joel, ad 2, u. 15—17 *ne hos . . nunc profanis nationibus exsecratiu fieri despiciue patiaris*.

**F**abarius s.: Isid. eccl. off. II, 12, 3 (antiqui pridie quam cantandum erat . . legumine causa uocis utebantur . .) *Vnde et cantores apud gentiles fabarii dicti sunt.*

**famen:** Isid. De ord. creatur. 2, 2 *mystico famine* (Mart. Cap. IX, 999 e coni. Grot.).

> *fare* act.: Isid. De nat. rer. 1, 4 *fasti dies sunt quibus ius fatur id est dicitur.*

**fatigator:** Aug. serm. 48, 6 ex. *tenete me debitorem, ne diu habeatis fatigatorem, sed pro uiribus meis adiutorem.*

**ficta** (♂ pro *fixio* = fixura, ital. *fitta*, cf. HA II, 4) „dolor acutior, quasi aculeo defixo“: Greg. Tur. mirac. S. Mart. III, 10 *subitaneus (dolor) tanquam clavis affligens, atque ita factam grauissimam dabat, id. hist. Franc. V, 5, et (cit. Cang.) Vita S. Eligii II, 23.*

**figuratus, us:** Diom. II, p. 446 *paronomasia . . , cum praecedenti nomini aut uerbum aut nomen annexitur ex eodem figuratu, ut fugam fugit etc.*

**flagitiare:** uid. s. u. impurare.

> *fluxio:* Isid. Diff. I, p. 7 Areu. *congregatio sordium, quae fit a fluxione multa;* — *fluctio* Plin. aliq.

**fruitio:** Ignat. ep. ad Smyrn. uers. uet. 6 *spes fruitionis futurorum bonorum;*  
— *perfructio* Aug.

**G**alnapis (species uestis stratoriae): Isid. Orig. XIX, 26, 2, regula monach. 13, 1, cf. Grialium ad l. 1.

**gratifice:** Rufin. hist. monachor. p. 394 A t. XXI Migne *unumquemque nostrum gratifice alloquitur;* — adi. *gratificus:* II, p. 7 \* s. u.

**Haesitanter:** Aug. serm. 117, 10 *intelligebas primo titubanter atque haesitanter; intelligis postea certius et clarus,* „gloss. mscr.“

**Illaedibilis:** Isid. ord. creat. 10, 9; — *illaesibilis* all. eccl.

**illaqueatio:** Isid. ep. 6, 3.

**imbecillari:** Dosith. p. 60 *imbecillor ἀσθενῶ.*

**imbenignus:** Hier. in Eccl. p. 409 *lex rigida imbenigna non parcens peccantem interficit.*

**impertitiuus:** Prisc. Inst. Gramm. XIII, 4, 21 *distributiua uel impertitiua.*

**impinguis:** Egesipp. III, 26, 2 *Capharnaum, quam Nili fluminis uenam . . quidam aestimauerunt, non solum quia impinguis arua opimat . . ,* — ab *impinguare* i. *pinguem reddere* eccl. Cf. festinis Titin., *praecluis* (*praecluere*) M. Cap., *rebellis*, — *ad-clinis* (de-, in-, pro-, re-*clinis*), *corrugis* (*corrugare*), *depilis* (*depilare*), *percernis* *inscr.*

*impletor*: Aug. serm. 170, 2 *impletor legis*.

*impraeuaricabilis*: Ignat. ep. ad Eph. uers. uet. 20 *obedientes episcopo et presbyterio impraeuaricabili sensu* ( $\delta\pi\epsilon\sigma\tau\alpha\sigma\tau\omega \delta\tau\alpha\omega\lg$ ).

> *impurare*: Isid. Diff. I, 230 *flagitiare est impurare* (Sen. ep. 87, 16 ed. Haase ‘inspurcauit’), — *impuratus* Plaut. Ter. all.

*inaestimabiliter*: Ps. Aug. serm. 108 ex. *in futuro inaestimabiliter remunerabimini*, Mar. Merc. Cyrill. inc. Vnig. 26 *immittit ipsam* (animam) *inaestimabiliter in corpus*, et cum ipso etiam nascitur, id. Blasph. Nestor. p. 923 B t. XLVIII Migne, al., — adi. uett.

*inalienabilis*: [Isid.] Coll. canon. (conc. Nicaen.) p. 16 Ar. *regnum sempiternum*., *inalienabile*.

*inattingibilis*: Isid. Sent. II, 7, 5 *inattingibilem diuinam iustitiam*.

*incantatrix*: Ps. Cypr. dupl. mart. 35 *ad incantaticum remedia confugit*.

*incognitio*: Isid. Diff. I, 216 *phantasma rerum incognitio cognitarum*.

*incomparabilitas*: Ignat. ep. ad Trall. (uers. uet.) c. 5 *omnipotentis Dei incomparabilitatem* ( $\tau\delta \delta\pi\alpha\rho\delta\theta\varepsilon\tau\omega$ ).

*inconceptus*: Phoebad. contra Arian. 9 *huius nativitas ideo inenarrabilis nuntiatur*, quia per ipsam *inconceptus est*, sed *perfectus ex Deo Patre Filius Deus est*.

*inorrectibilis*: Isid. Sent. III, 5, 34 *ob incorrechtibilem iniqutatem*. & An incorrectibilem, cl. III, 44, 3.

*incorrigibiliter*: Isid. Sent. III, 2, 6 inc. *delinquentes*; — adi. Greg. M., Is. Sent. III, 46, 4.

*indicibilis*: Intpr. Orig. in Isai. hom. 7, 1 *audiuit indicibilia uerba*.

*inerratus*: Boeth. Arithm. praef. *eo magis inerrato opus esse intelligebam*.

*inexcruciatus*: Egesipp. V, 22 in. ac Matthian quidem, quo auctore in urbem *receptus est*, *inexcruiciatum necauit*.

*inexitiabilis*: Egesipp. IV, 14 *configiendi uotum habebant, sed, qua via inexitabile id sibi foret, non reperiebant*.

*inexplorabilis*: Ignat. ep. ad Trall. (uers. uet.) 7 *uitam uestram inexplorabilem apponite omnibus hominibus*.

*inexustus*: Egesipp. V, 42, 2 (aedificia) *si inexusta reseruarentur*.

*infertilitas*: Hier. Orig. in Ezech. hom. 4, 1 *peccatores sine . . posteritate sui aeterna infertilitate damnantur*, ib. 2 *terrae*, gloss. Philox.

*informatus*, u.: [Rufin.] Comm. in Joel, ad 2, u. 21—23 (quia doctores iustae conuersationis acceperis), *quorum informatu et modestus ageres et beatus*.

*inindigens*: Ignat. ep. ad Philipp. uers. uet. 9. Cf. B ann. ad ‘indissimulanter’.

*iniuriator*: Ignat. ep. ad Philipp. 11 *legis Dei*.

*inobdormibilis*: Ignat. ep. ad Polycarp. 1 *wigila*, *inobdormibilem spiritum possidens*.

*inobseruanter* (*ἀχυλάχτως*): Ignat. ep. ad Trall. (uers. uet.) 6.

*inordinalis*: Ps. Cypr. sing. cler. 6 o quam *inordinalis feminae propinquitas*; — adu. *inordinaliter* ib. 2 *ipsi nos fallimus, quotiens inordinaliter credimus aestimantes per fidem nostram legis praecepta posse mutari*, C. Aur.

*inquietescere*: Exc. de idiom. casuum p. 569 (Gramm. Lat. ed. Keil t. IV) *inquiero te, οὐχ ἐγησυχέζω σοι*. Cf. *requiescere* trans. Ignat. ep. ad. Trall. (uers. uet.) 12 ‘quae .. me requieuerunt in omnibus’ (.. με χατὸ πᾶν ἀνέπαυσαν).

*insistenter*: Januar. Nepot. 21, 1 *cum Etrusci in urbem Romam insistenter rruerent*<sup>5)</sup>

*insuccidus*: Ps. Aug. serm. 17, 1 *insuccido tepore ueterascens iam corpus* (succidus iam uett.).

*insultanter*: Aug. serm. 88, 18 *neque superbientes, ut insultanter arguatis*, [Rufin.] Comm. in Amos I, ad c. 4, u. 4—6.

*insultator*: Aug. serm. 105, 8 *ut .. respondeatis insultatoribus et blasphematoribus nominis christiani*.

*intaminare*: Egesipp. II, 10, 4 *ne templum intaminarent*; — notum est contamine, recc. etiam attaminare (in-taminatus = incontaminatus Egesipp. habet V, 16, p. 302 et 306 Web.)

*irreconciliabilis*: Egesipp. I, 40, 8 *insimulatis irreconciliabilis, amicis incredulus*.

*ischiasis* (*ἰσχιάς* sc. *νόσος*): Ps. Cypr. dupl. mart. 40 *pleuritis, ischiasis, podagra* etc.

> *Lapsanium* (*λαψάνιον*): Hier. reg. Pachom. 52 *lapsania, quod genus herbárum est uiliorum*, — *lapsana* (*λαψάνη*) Varr. r. r., Col., Plin., Pl. Val. V, 31 ‘de oleribus maluas et lapsanas’ (*γρ. lappatas*).

*lassabundus* (signif. passiu.): Rufin. hist. monachor. 1 p. 399 t. XXI Migne *lassabundam simulans ac fatigatam*. Ad significationem cf. uolutabundus Cic. rep., de omni autem figura in -bundus A, p. 49 sq., n. 45.

*leuicutis*: Carm. de Sodoma 143 *aliquam de gurgite gentem Squamicutem uel leuicutem uel cortice septam*. Cf. testicutis B s. u., lanicutis Laber.

*ligator*: Acr. ad Hor. Serm. I, 6, 121 *cuiusdam feneratoris et ligatoris*, — i an: litigatoris.

5) Aduerbia in -nter a part. praes. inclinata adhuc inueni uett. 85, ut u. e. famulanter Att. tr., feruent, festinanter, fidenter, fluenter Lucr., furenter (p A 10, ut u. e. flagranter, fulgenter), recc. 134, ut u. e. fallenter, fastidianter, florenter, fragranter, furanter.

*longiare*: Diom. III, p. 505 (choriambicum metrum) *a dimetro in tetrametrum longiatur*, it. ibid. (bis). Cf. ampl-i-are Diom. p. 506 '(ionicus) a dimetro in trimetrum ampliatur', Cic. Quint. Plin. all. (amplare pr.).

*lutina*: Exc. de idiom. gen. p. 581 Keil *lutina πήλωμα*. Cf. caepina, napina, laterina, his sim.

*Magniloquax*: Intr. Orig. in Isai. h. 8, 2 *quid repromittat iste magniloquax, intueamur, „gloss“*. Cf. A, ann. 57.

*malesanus*: Mar. Mercator Symb. Theod. Mops. praef. 3 *suo dogmati, de quo.. malesanus libros confecit*, (Prisc.) De accentibus 8 *obseruatur .. accentus .. in compo-sitis unus, ut malésanus, intereáloci*. Cf. malesuadus uett., malefidus (A, p. 17 \*).

*maliloquentia*: Prosp. Aquit. Contra collator. 21, 2 *per hunc uirum* (Cyrillum) *istis ipsis, qui Augustini scripta reprehendunt, maleloquentiae est adempta libertas*.

*mamillatus*: Aug. serm. 243, 7 *debet mamillatum pectus et uiros*.

*mandragoricus*: Isid. quu. in Genes. 25, 19 (malis, pomo), it. 20 sq.

*manganum*: Egesipp. IV, 20 (Nero) *cum se circumseptum intelligeret, ne graues poenas exigeretur, manganum quoddam sibi de ligno parauit, .. quo se necaret*, gloss.

Cyr. „Est proprie machina bellica, deinde i. q. mechanema; cf. Cang. s. u.“

*maturascere*: Aug. serm. 223 ex. (cf. ad u. congelescere).

*mitigatus, u.*: [Rufin.] Comm. in Amos I, ad 5, u. 16, 17 *cum de mitigatu sententiae disputaret*.

*mutabundus*: Petr. Chrysolog. serm. 57 *ut esses in coelestibus stabilis, qui eras lubricus ac semper mutabundus in terra*. Exemplis adiectiuorum participialium in -bun-dus (cf. A p. 49 sq.. ann. 45) hoc accedit centesimum tricesimum.

*Nouissimalis*: Mar. Victorin. art. gramm. II, 2 *heroici uersus cola seu commata sunt ἀρχικά, alia τελικά, e quis alia initii, alia clausulis uersuum conexa respondent, quas portiunculas ausim dicere initiales et finales seu nouissimales (!)*. Cf. extremes gl. Labb.

> *normare*: Diom. I, p. 335 (normabatur), — *normatus* Col.

\* *nubifer pass.*: Ps. Aug. serm. 180, 3 *lectica nubifera*, — *ut pistriger Sid. Triton.*

> *nundina, ae sing.*: Sidon. ep. VII, 5 *rem iam dudum in nundinam mitti auctionemque potuisse*.

*nutriculus* q. *nutritor, nutricius*: Petr. Chrysol. serm. 62 *forte aliquis stupeat, cum uideat nutriculum ista facientem* (h. e. se quasi redigentem in paruulum, ridere simulantem, timere fingentem etc., l. l. in.); — *nutricula* Cic., Hor. all.

**Obbibere:** Marc. Emp. p. 246 (epist. Hippocr.) *exhinc sanguis ardentior febribus augmenta suppeditat, nec minus humor obbibitur.*

**obrepenter:** [Isid.] Coll. Canon. 6 p. 46 Areu. s. f. *si quis episcopus uacans .. (ecclesiam uacantem) obrepenter occupandam esse crediderit, gl. ‘obrepenter, direpticie’.*

**obrubescere:** Aug. serm. 106, 6 *aliquando quando interior frons pulsatur, exterior obrubescit, aut pudore obrubescit, aut timore pallescit.*

> *oenoferus* s.: Prob. de nom. excc. p. 211 Keil (Gramm. Lat. t. IV) *hic oenoferus* (cf. Gg. s. u. *oenophorum*).

**affirmatio:** Hier. ep. 121, 5 *affirmatione opus est ad passionem sponte properanti,* id. Orig. in Ezech. hom. 3. 1 (‘affirma faciem tuam super filias populi tui’. Ista facies, id est principale cordis nostri, nisi affirmata fuerit super eo, quod intelligendum est, . . illud, quod aspicitur, non uidetur). *Impossibile quippe est, ut aliquis sine affirmatione uultus, uagus, fluctuabundus, circumlatus omni uento doctrinae, uideat quod debet, uideat ut debet, ib. inf.*

**ominalis:** Dosith. p. 25 *quaedam ominalia* ( $\tauωδ \delta\epsilon \circ\omega\nu\iota\sigma\tau\kappa\delta$ ).

\* **opinatus** part. adi.: Rufin. Apol. I, 4 *per sanctos uiros Chromatium, Jouinum et Eusebium, opinatissimos et probatissimos in ecclesia*, II, 43 *ex more huic esse, ut bonis omnibus deroget, et in hoc se putet aliquid esse, si opinatos quosque uiros et qui aliquid nominis in literis habuerint, reprehendat;* -- **opinato** adu.: Dosith. p. 41 *προσδεδοκημένως* (nota erant necopinato, inopinato).

> *opprobari:* Exc. de idiom. casum p. 567 Keil *opprobor tibi δυειδέω σοι, — pro opprobrire.*

**Pactuari:** Exc. de Const. Chl. Const. M. et all. impp. 49 *cui Theodericus pacuatus est, ut, si uictus fuisset Odoacer, dum adueniret, praeregnaret.*

**parochitanus:** Isid. ep. I, 11 *sollicitudo quoque parochitanorum et ordinatio et iurgia ad eius (archidiaconi) pertinent curam, ib. ornamenta uel res basilicarum parochitanarum* (cf. ib. ‘pro reparandis dioecesanis basilicis’), 13.

> *pedulis subst.:* Isid. reg. monach. 12, 2 et 3 *pedules utendi in monasteriis, quamdiu hiemis coegerit uiolentia, siue dum fratres gradiuntur in itinere; — pedule s. Fronto.*

**perdamnare:** Mar. Mercator. Commonitor. 5 a Zosimo episcopo scriptis amplissimis uel<sup>6)</sup> longissimis perdamnatus est.

6) Vel pro et, abusione recentiorum sec. IV in. iam diuulgata, ut u. c. Spart. Carac. 7 ex. ‘quamuis Graeci uel Aegyptii eo genere quo feminam hominem etiam Lunam deum dicant’, Capit. Alb. 12, 13 ‘apparet quanta seueritate factionem uel Pescennianam uel Clodianam uindicauerit’ (Seuerus), Treb. Gall. 5, 5 ‘et pesti-

*perditus*, us: Ps. Cypr. aleat. 6 (ed. Hartel) *pecuniarum ingentium perditus* (edd. uulg. *perditio*).

*perhumilis*: Amm. XVI, 10, 10 *corpus perhumile curuabat portas ingrediens celsas*.

*permixtus*, u: [Rufin.] Comm. in Amos I, ad 5, u. 7. 8 *permixtu contrariorum*.

*peroccultus*; Isid. Prooem. 35 *perocculto mysterii sacramento*.

*peroffendere*: Amm. XXVII, 1, 4 *cum Seuerianum uidissent equo deturbatum missilique telo peroffensem*.

*perperire*: Ps. Cypr. sing. cler. 43 *perperitoram* (edd. uulg. *perperam*) *erogat fortitudinem, qui sine armis doctrinae magistri spiritus praesumpserit triumphare*.

*perstultus*: Hier. Didym. de spir. scto. 64 ex., (Euagr.) Zacch. et Apoll. Consult. II, 14 p. 1134 B t. XX Migne; *adu.* Mar. Mercator. Subnotat. in uerba Juliani 9, 5.

*pertraiicere*: Ps. Aug. serm. 245, 4 *solis radius . . soliditatem eius* (*specularis insensibili subtilitate pertraiicit*).

*pigmentalis*: Facund. defens. trium capitul. IV, 2 *Diodorus, Nazarei magus, eius pigmentibus manganis* (cf. sup. ‘*manganum*’) *acuens irrationabilitatem, acutus apparuit sophista religionis agrestis*, — a pigmentum q. medicamentum, species medicinalis: Pl. Val. II, 31 *in quod (uas) posteriora pigments misisti* (h. e. adipes, ceram etc.) et saep., Coel. Aur. II, 9, 46 *ad eius pigmenti* (h. e. aloes trioboli cum aqua dati ante cibum) *in stomacho effectum sensum*, Firm. m. III, 14, 6 *pigmentorum medicinalium*, all., cf. Facund. VI, 3 *aures omnium pigmento, quod excaecat oculos sapientium, praeoccupauit*.

>*pigritare*: Isid. Sent. III, 7, 16 *qui in praeceptis Dei pigritat*; — *pigritari depon*. Vulg., Lup. et Euphr. ep. 1, intrpr. Iren., gl. (*pigrari Cic.*, sed *pigrare Att. Lucr.*).

*pinguificare*: Aug. serm. 361, 11 *unde terra pinguifatur, nisi de putredine terrenorum?*; — *pinguefacere* Plin. Tert. <sup>7)</sup>)

*plaustrari*: Dosit. art. gramm. p. 60 Keil *plostror δημαξηλατῶ*.

---

lentia tanta extiterat uel Romae uel in Achaicis urbibus', Vop. Saturn. 10 in. 'cum eum animarent uel ad uitam uel ad imperium', Cap. Ant. Phil. 17, 6 (cl. Eutr. VIII, 14 et Vict. epit. 16, 8, cf. Salm. ad ill. loc.), id. Gord. 6, 5 et 14, 7, id. Pert. 2, 8, id. Ver. 5, 2 (sed etiam sollemini signif. isti scr. uel, ut e. c. C. Ant. Phil. 17, 5, Vop. Aur. 21, 6), — Ampel. lib. memor. praef. 'ut noris, . . quid orbis terrarum ferat, uel quid genus humanum peregerit', Lact. mort. persec. 8, 3 'cum ipsam . . teneret Italianam, subiacerentque opulentissimae prouinciae, uel Africa uel Hispania', Vict. Caes. 30, 1 'Saluui nomen atque eius scripta factuae aboleri iussit', It. Al. 37, — ac deinceps posst, ut e. c. Sulp. Seu. uit. Mart. 1, 7 'Martini uitam scribere exordiar, ut se uel ante episcopatum uel in episcopatu gesserit', chron. I, 45, 4, ib. 53, 4, Sidon. ep. IV, 20, cett.

7) Cf. (per-)terrefacere, terrificare; — candefacere, candificare rec.; expergefacere, expurgificare Gell.; lucrifacere, lucrificare Tert.; humefacere Pl., humificare Aus.; — purefacere Non., purificare Pl. Suet. postt.; turpifacere (s. u.), turpificatus Cic.; — scarifieri Scrib., scarificeare Pall. (metaplasmatu e scariphare q. é. σκαριφῆσθαι, cf. A, ann. 22); — utraque recc. nigrefieri, nigrificare; prodefacere; prodificare; rectifacere, rectificare; uiuefacere, uiuificare.

*pluuialiter*: Isid. ord. creat. 7, 5 *pluuialiter imbres ad terram delapsi cadunt* (adi. p. et pA).

*porisma* t. t. geom. (uel philos.) syn. *corollarium*: Boeth. Cons. Phil. III, 10 (pros.) *pulchrum hoc . . siue porisma siue corollarium*.

*postseque*: Petr. Chrysol. serm. 96 *praecedunt Creatoris bona, mala diaboli postsequuntur, postsequens (A s. u.) intrpr. Orig. in Matth.*

*potamentum*: Isid. ord. creat. 9, 1 *ut sitientibus potamenti solatia praeberet.*

*praeabundantia*: Herm. past. cod. Pal. II, 8 *census.*

\* *praecipitatio* transl.: Isid. Sent. II, 17, 4 *qui uel praecipitatione delinquit (i. e. praecipitato consilio, praefestinando), II, 30, 6 et 35, 3.*

*praecustodire*: Ignat. ep. ad. Smyrn. uers. uet. 4 *praecustodio uos a bestiis hominum figuras habentibus, ep. ad. Polycarp. 6.*

*praeeuangelizare*: Intrpr. Iren. IV, 26, 1 *hereditatem sanctae Hierusalem praeeuangelizans.*

*praeespectare*: Isid. Synon. II, 28 *praeespectata res non admiratur, cum acciderit.*

*praetor*: Ps. Aug. serm. 99, 7 *surgit claudus . . , praetorque fit praedicationis.*

*praemagnus*<sup>8)</sup>: Boeth. de diffin. p. 897 (t. LXIV Migne) *meritorum, it. p. 900 A.*

*praenuntiatiuus*: Isid. quu. in Leuit. 2, 2 *antiqua res est praenuntiatua immolatio sanguinis, futuram passionem Mediatoris testificans.*

*praeregnare*: uid. ‘pactuari’.

*praescrutari*: Verecund. In cant. Debb. 24 *quis haec praescrutabitur? maioris institutionis est inquisitio talis.*

*praescrutatio*: Verecund. In cant. Debb. 26 *hoc agnoscere cordis est magnae praescrutationis, id est intelligentiae plenioris ac sapientiae potioris, et pluries.*

*praesuasio*: Egesipp. V, 22 (Antiochus) *seruauit ultimam matrem (Maccabaeorum) ad praesuasionem regiae uoluntatis, tu seruari iussisti patrem ad cruciatum paterni doloris.*

*praeuisio*: Ignat. ep. ad Philipp. uers. uet. 8 *in utero Virginis gestientis infantis praeuisio.*

*prauiter*: Aug. serm. 101, 6 *prauiter ipsi Domino calumniari de loculis et calceamentis. Cf. A, ann. 70.*

8) Adiectua cum *prae-* intentiuia composita, „ut *praecelsus*: ualde celsus, *praeualidus*: ualde ualidus“ (Prisc. Inst. Gramm. XIV, 5, 46), inueni 44 uett. — quo in numero p A 19 (ut Plin.: *praecrassus, praedensus, praefecundus, praelucidus, praemollis, praeparcus, praetenuis, praetener, — 8, quorum solus ille censem auctor*), poet. et pA, ut *praeduleis, praegrantis* Ouid. Plin. all., uel Liu. et pA, ut *praegelidus* Liu. Plin., *praedives* Liu. On. Plin. Tac. all., 12, — 36 recc., ut *Juuenci* sunt: *praeblanus, praemitis, praeparuuus, praepulcher, praeolidus, prae stupidus, per nos noue regesta, praeter supra scriptum, praeaeternus, praeagax (?)*, *praeexcelsus*.

> *prela* pro prelum: Exc. de idiom. gener. p. 577 (Gramm. Lat. ed. Keil t. IV) *prella πιαστήρ*.

*principator*: Hilar. in Ep. ad Galat. I, 33, Arn. iun. Annot. ad Euang. 1 Deus . . *principator omnium*.

*procultatus*, us: [Rufin.] Comm. in Amos I, ad 5, 1 et 2 *procultati uiuentis exposita, probra simul et tormenta perpetitur*. Cf. sup. s. uu. eiusdem figurae: affirmatus, consecutatus, crepitatus, denuntiatus, exsecuratus, informatus, mitigatus, permixtus, auctoris omnia eiusdem, qui commentarios in Oseam, Joel, Amos conscripsit (Comm. in Joel praef. p. 1035 A Migne, Comm. in Amos praef. in.), qui non est Rufinus Aquileiensis, sed ingenii eloquiique diuersus.

*proculus* adi.: Dosith. p. 25 K. alia (nomina significant) *quantitatem, ut proculus altus magnus . . (ώς τὸ μακρὸς ὑψηλὸς μέγας . .)*, gloss. Labb. *proculus τηλέγονος*.

*progenerator*: Aug. serm. 51, 27 *auos et proauos et alios superius progeneratores*.

*propinator*: Aug. serm. 361, 7 *non uis respondere corruptori, cum faues propinatori*.

*pugnatio*: Ps. Cypr. sing. cler. 34 *reperta pugnationis occasione*.

*puluescere*: Ps. Aug. serm. 120, 1 *cum . . ruinae praecipitis ictu totius orbis membra puluerescerent*; — *puluerescere* On. lat. gr.

*putator*: (a *putare* syn. *existimare*): Isid. ord. creat. 4, 1 *utriusque existimationis non desunt putatores*, 6, 9.

*putrescibilis*<sup>9)</sup>: Hier. in Iob. 17 *Adam corruptione factus putrescibilis*; — *putribilis* Aug., Paul. Nol. ep. 8 et 30, 6.

*Quadricolor*: Isid. nat. rer. 31, 2 *quadricolor est* (arcus coelestis), id. lib. num. 5, 24.

*quadrivodus*: Isid. Sent. II, 29, 14 et 15 *quadrivoda est dicendi ratio*.

\* *quousque* relat. = *quoadusque* (so lange bis): Aur. Vict. epit. de Caes. 38, 5 *cum dolo occultaretur ipsius (Numeriani) mors, quousque Aper inuadere posset imperium, foetore cadaueris scelus est proditum*, Theod. Prisc. IV, f. 312<sup>a</sup> *locis tumentibus . . spisse imponis tamdiu, quousque ad limpidam sanitatem patientia loca perducas, et aliquoties in eadem pag. et subseq. (cf. et pag. cit. ‘eo usque coquitur, ut uinum absumatur’), Marc. Emp. 36 p. 409 A quod oportet tamdiu coqui, quousque ad olei mensuram liquor*

9) Declinata, sicuti hoc, ab inchoatiua uerbi forma in -bilis (-sc-i-bilis) uett. noui nulla, recc. haec: *noscibilis* Tert. Aug. M. Cap. — *agnoscibilis* Tert., Aug. serm. 341, 1, *dinoscibilis* It. Alex., *cognoscibilis* Vulg. Boeth., *incognoscibilis* Ambr. intpr. Iren., *ignoscibilis* Gell., — *nascibilis* et *innascibilis* Tert., — *concupiscibilis* Hier. Ambr., — *erubescibilis* Cassiod., — *immarcescibilis* Tert. Paul. N., — *insenescibilis* gloss., — *irascibilis* Firm. m.

*omnis ueniat, 27 p. 365 D, 33 p. 393 G, 25 p. 354 F, Plin. Val. I, 6 coques, quousque remaneant sextarii duo, II, 3 quousque album efficitur, Vict. Vitens. (V sec. ex.) persec. Vandal. II, 17 quem secum, quousque uniuersi baptizarentur, ibi detinuit, 18.*

**Raripes**<sup>10)</sup>: [Rufin.] Comm. in Joel, ad 1, u. 4 *non clypeatos pedites, sed uermiculos raripedes* (erucas dicit; — an paruipedes? cf. paruicollis C. Aur.)

**recaluities**<sup>11)</sup>: Rufin. Orig. in Leuit. h. 8, 10 *sexta species leprae . . fit in caluitie uel recaluitie.*

**receptatrix**: Hier. Did. spir. sanct. 5 *alterius boni.*

**recessa pro recessus** (sc. aestuum marinorum): Isid. ord. creat. 9, 7 (uid. s. u. assisa, et cf. HA, c. II, 4).

**reconditor**: Aug. serm. 178, 2 *si sordidus est reconditor suorum, ulcerosus est raptor alienorum.*

**recongerere**: Egesipp. I, 40, 10 *singula quaeque aduertens ubi intellexit magis dolo recongesta quam fide nixa.*

**recorrectio**: Dosith. art. gramm. p. 7 Keil *emendatio est recorrectio errorum, qui per scriptum dictionemue fiunt, Diom. II, p. 426, — recorrigere pA.*

**refrigerosus**: Ps. Aug. serm. 181 *in refrigerosa amoenitate, — si recte ita scribitur, a refrigerare inclinatum* (cf. HA, p. 27 \*, n. 7), non a refrigerium.

**reignire**: Rufin. Orig. in Genes. h. 15, 2 *ἀνεζωπύρησεν reaccendi, ut ita dicam, significat et reigniri.*

**renitentia**<sup>12)</sup>: Aug. serm. 277, 7 ex. *in nullo lassitudo, in nullo ex alia parte renitentia et reluctatio.*

**repensitatio**: Pass. Perpet. et Felicit. praef. *repensitatione rerum, — repensatio Salu.*

10) Exempla compositorum ex adi. (uel numerali) et - pes (pro -pedis, — sesquipedis Garg. Mart.): multiples Pl. (multipeda id.), longipes Pl., Crassipes, gracilipes, mollipes, leuipes, solidipes Pl., flexipes; celeripes, planipes, segnipes, tardipes; recc. aequipes (-dus), curuipes, uncipes, fissipes; citipes, lentipes, nudipes, uolucipes; — bipes (bipeda Pall.), centipes (-da), (millepeda), octipes, quadrupes (-dus), semipes, sesquipes, triples, recc. senipes Sid. uel sepes App., septipes Sid.

11) Nomina deriuatiua in -it-ies, cuiusmodi computauimus 19 nett., 14 recc., gemellae pleraque sunt formae nominum in -it-ia (14 nett., ut auarities, canities . . , 7 recc., ut pinguities, puerities . . ). Singulares in -it-ies formae, sicuti supra scriptum recaluities, sunt almities, crassities, lenities (?), magnities, sordities, uanities. Cf. A, ann. 65.

12) Cf. HA p. 11 \* et A p. 22 sq., ann. 25. Collectis ibi e posterioris aeui scriptis nominum a participiis praes. act. inclinatorum in (-nt-)ia exemplis subindenda sunt haec — partim tunc omissa, partim adiuuenta deinde —: abnuentia, cohibentia (?), concedentia gl., expauescentia, improudentia, iñdeficientia, inundantia, maleloquentia, obtemperantia, olentia, oppugnantia, oscitantia, peruigilantia, praebundantia, prudentia, renitentia, subsequentia, uerberantia (> inobaudientia et obaudientia), — ita ut congregata iam sint recc. 167, cum uett. numerauerim 143 (uel conumeratis talibus, qualia sunt elegantia, petulantia . . : 150), quo in numero prisc. 8 (ut errantia, habentia . . ), peculiaria Lucretio 3, Vitruu. 14 (ut abstantia, considerantia, concrescentia, decrescentia . . ), alia pA 17 (ut audentia, circumstantia, congruentia, displicantia . . ).

*retrarius*: Aug. serm. 105, 5 *non ergo scorpius perimat ouum tuum, mundus iste spem tuam ueneno eo contrario, quo retrario.* Cf. *extrarius* . . , recc. *intrarius*, *superaria* (sc. uestis).

*reuersus*, us: Mar. Victorin. art. gramm. III, 7 *est aliud genus (uersuum hexametrorum), quod in eandem mensuram reuertitur, ut utrimque legentibus herous sit, . . quales apud Virgilium reperiuntur: Musa, mihi causas memora, quo numine laeso (Aen. I, 8), item: ipse dedit . . (Buc. VIII, 96); aeque enim et in reuersu lectionis suae herorum custodiunt metrum sic: laeso numine quo memora causas mihi, Musa etc.*

*roscidare*: Ps. Aug. serm. 170, 1 *malogranata roscidantia.* Cf. *grauidare* (rec. in-), *trepidare* (ad-, *prae-*), pA (uel p. et pA): *nitidare, rigidare, solidare (con-, ob-, r. ad-, re-), trepidare, uiridare (prae- Lab.), recc.: (ex-) caldare, candidare (ex-, in-), cruditare, fluidare, frigidare (in-), (e-)gelidare, humidare (co-), limpidare, liuidare, lucidare (e-, di-), luridatus, madidare, placidare, rancidare, sordidare, splendidare, stupidare, sucidare, torridare, turbidare, ualidare., uiuidare.*

*Sabbatizatio*: Ignat. ep. ad Magnes. 9 *pro sabbatizatione diem festum celebret omnis Christianus dominicam resurrectionem, — a sabbatizare ib., Tert., Hier., Vulg.*

*sanctifier*: uid. ‘deifer’.

> *sanctimonium*: Aug. Enarr. in Psalm. 99<sup>b</sup>, 13 *inuenis sanctimoniales indiscretas: numquis ideo sanctimonium reprehendendum est?*, serm. 188, 3, — *sanctimonia* Cic. Tac., Capitolin., Vop. all. Cf. HA p. 49\*.

*saturies*: Ps. Aug. serm. 27, 4 *luxuriosa gentilitas post saturiem lusum quaerit, pro saturitas, ut saties Plin. Juvenc. pro satietas.*

> *scriniaria* subst.: Isid. quaestt. in Genes. 8, 7 *quid est hodie aliud gens ipsa (Judeorum), nisi quaedam scriniaria Christianorum, baiulans legem et prophetas?*; — *scriniarius* subst. (actorum, ab epistulis . .) Cassiod., inscr. — Nomina deriuatiua in -arius inclinata inueneram (tum, cum haec scribebam) uett.: substantiue tantum usurpata 169 (ut aestuarium, bellaria pl., calceolarius, donarium, essedarius), adi. et subst. 114 (ut aerarius, beneficiarius, caligarius, defrutariorius Col., equarius), adi. tantum 191 (ut arbitrarius, boarius, contrarius, ductarius Vitr., extrarius)<sup>13)</sup>, — recc. subst. tantum usurpata 390, ut acceptorarius, bibliothecarius, caementarius et -ia, depositarius, exemplarium . .; adi. et subst. 64, ut annonarius, carrucarius, doliarus (d. officina, et doliarus et doliarium abs.), emphyteuticarius . .<sup>14)</sup>; adi. 171, ut alutarius, binarius, caducarius,

13) Quo in numero, 474 uett. in -arius terminantium, insunt pA (uel Liu. et pA) 137.

14) His addi possunt plus triginta uett., quae apud recc. demum substantiuali potestate comparent inducta, ueluti e. c. perpetuarius, plastrarius, plumbarius, porcarius, promptuarium, purpurarius.

Dianarius (radix), epistolarius . . Ergo omnium in -arius desinentium deriuatiuorum c. 70 %, recc. 74 % compertum habemus usurpata esse pro substantiis. Cf. HA p. 37 \*.

*sectatrix: Isid. eccl. off. II, 18, 1 sectatores et sectatrices perpetuae continentiae.*

*semiaridus: Herm. Past. III, similit. 8, c. 1 uirgas semiaridas et scissuras habentes, ib. c. 4, 5, 7.*

*separabiliter: Aug. serm. 52, 15 quae tria separabiliter proferantur, inseparabiliter operentur, 17 . ., „Boeth.“; adi. Cic. s.*

*seruitalis: Isid. ep. 1, 15 seruitalium stipendia clericorum, . . et uictus domesticorum clericorum, seruitalium quoque et artificum. Cf. ministerialis „Cod. Theod., excc. de mensur. in Grom. uett. ed. Goes. p. 321 (ministeriales imperatorum), gloss.“*

*seuehi: Propert. IV, 2, 21 cur tua praescripto seuecta 'st pagina gyro? Notis exemplis uerborum se- prefixorum, quae excepto uno (segredi Tert.) uett. sunt omnia, hoc (mirum quare nondum regestum) accedit quintumdecimum uel sextumdecimum.*

*\* simplicitas: (Prisc.) De accent. 14 . . fu in simplicitate (fugere) breuis est, et ideo transfuga et non transfuga dicimus, ib. 38.*

*simplicium: Vol. Maec. 39 dimidium scriptulum audio quosdam ratiocinatores simplium uocare, quod erit totius assis quingentesima septuagesima sexta (sc. pars).*

*sphaeropaectes: Maxim. Victorin. art. gramm. p. 187 sphaeropaectae, funambuli ceterique huiusmodi (σφαιροπαίκτης gloss.).*

*spiritifer: Ignat. ep. ad Eph. uers. uet. 9 (s. u. deifer), ep. ad Rom. in. spiritiferae (ecclesiae).*

*squamicutis: Carm. de Sodoma 143 (s. u. leuicutis).*

*steriliter: Aug. serm. 87, 11 ecce ille quam largiter! tu quare tam steriliter?, inc. auct. (sec. V) de uocat. omn. gent. I, 7.*

*> stibium: Egesipp. IV, 25, 2 stibio oculos depingebant; — stibi indecl. Cels. Scrib. Plin.*

*stimulatus, us.: Ps. Cypr. Ad Vigil. 8 animante stimulatu Domini.*

*stipamen: Egesipp. II, 6, 3 (sicarii) in medio urbis et turbae stipamine percutiebant quoscunque propius accesserant, V, 3, 1.*

*> (stridere) perf. stridui: [Rufin.] Comm. in Amos I, ad 2, u. 13—16 cum striduero, id est infremuero. Cf. apud eund. furui, furuisse ib. ad 1, 11. 12 et 2, 1—3.*

*subcommunis: Diom. I, p. 301 quod graece epicoenum dicitur, Latini . . subcommune uocant.*

*subiniungere: Volus. Maec. 63 cum denarii nota praescribatur, eique subiniungatur aeris excurrentis nota . .*

*sublatere: Intpr. Iren. V, 20, 2 cadens in sublatentem ignorantiae foueam.*

*subpartiri*: Intpr. Iren. I, 15, 9 *ipsum, qui omnia capit, Patrem, a nullo autem capitur, in quaternationem et octonationem et duodecadem subpartientem.*

*subrisio*: [Rufin.] Comm. in Amos I, ad 5, 9 *ut indignationem suam subrisione potius indicet quam clamore.*

*subsannatorius*: Hier. in Iob 15 *ubi sermone subsannatorio potuit primum Adam dixisse.*

> *subtus praep.*: Dosith. p. 42 *subtus lectum ὑπὸ τὴν κλεψυδραν.*

*suffultor*: Rufin. Orig. in Ps. 36 h. 3, 8 *qui infirmi sunt et fragiles opus habent suffultore.*

*superadnectere*<sup>15)</sup>: Boeth. Mus. IV, 17 ex. *hic est octauus modus, quem Ptolemaeus superadnexuit.*

*superadponere*<sup>15)</sup>: Boeth. Mus. IV, 9 *cui litera S superapposita est.*

*superfluitas*: Intpr. Orig. in Matth. 20 *superfluitates corporibus innatas amputare*, ib. 45, Boeth. Cons. Phil. II, 4, Ps. Aug. serm. 73, 1, Greg. resp. ad August. c. 11, Vita Caesar. I, 3, 24 *superfluitatis amore* (ap. Plin. „XIV, 3, 13“ uox ista non exstat).

*supergratulari*: Barnab. epist. uers. uet. 5 *supergratulari debemus Domino*

*superimpletor*: Isid. eccl. off. II, 5, 9 *superimpletor legis et prophetarum; — superimplere gl.*

*superridere*: S. S. Proverb. (1, 26) ap. Ps. Cypr. sing. cler. 1 *itaque et ego uestrae perditioni superridebo* (Vulg.: *ego quoque in interitu uestro ridebo et subsannabo*).

\* *suus non iam tantummodo ut possessuum reciprocum, sed tanquam possessuum generale, praeuiantes linguis latinianis nouellis, usurpant V seculi scriptores, ut Sidonius ep. VII, 6 tantum pectori suo (i. e. Gothorum regis) catholici mentio nominis acet, I, 7, I, 11 p. 27 Sirm., III, 5, III, 10 s. f., IV, 23, VII, 9 p. 194, VIII, 6 p. 221, Claudianus Mamertus de statu animae II, 7, 7 Platonem admiratione sui pellectus testem uocita ui, Vincentius Lirinensis p. 304 ed. Brem. iam porro orationis suae (Tertulliani) laudes quis exequi ualeat? et saep.*

15) Verborum bipraepositionatorum nullum genus est numerosius quam eorum, quorum praepositio prior est *super-*, cuius generis exempla cognita habeo 96 (totius bipraepositionatorum summae 27 $\frac{1}{4}$  %), — uett. 33, rec. haec 63: *superabluere, superabundare, superadhibere, superadicere, + superadligare, superadluere, superadnectere, superadparere, superadponere, superadscendere, superadspergere, superadtrahere, superadultus, supercomponere, + superconcidere, supercorrigere, superdestillare, + superebullire, superefficere, superefliuere, + supereffulgere, + superefundere superegredi, + superelatus, supereleuare, superemicare, + supererectus, supererogare, superexaltare, superexcizzare, + superex crescere, superexcurrere, superexire, superexhaustus, superexigere, + superexistare, superexultare, superextendere, superextollere, + superincrepitare, superincuruatus, superindictus, superinducere, superinduere, + superinferre, + superimmittere, superinpendere, + superinplere, + superinruere, + superinspergere, superinspicere, + superinstillare, superinsultare, superintendere, + superinterere, + superinualescere* (Ott Beitr. zur lat. Lexicogr. II s. u.), *superinuehere, superinundare, superintelligere, superobductus, + superobumbrare, superoccidere, + superrepletus*. Ea quae + appieta insigniuimus, utpote quae in Gg. Lex. desiderentur, partim in Klotz. Lex., Quich. Add., Rönsch. op. laud., partim in nostris Add. A et B lector innueniet.

**Tardilinguis:** S. S. Exod. (4, 10) ap. intpr. Orig. in Isai. h. 6, 1 *exilis uocis sum et tardilinguis* (Vulg.: *impeditioris et tardioris linguae sum*). Cf. *tardipes*, rec. *tardicors*, — *bilinguis*, *trilinguis*, *elinguis*.

**temperabilis:** Isid. Diff. I, 88 *sollicitudo moderata est atque temperabilis, cura uero sine moderatione.*

**templifer:** uid. s. u. ‘deifer’.

**tempusculum:** Porph. ad Hor. Serm. I, 4, 9 sq. *si multos uersus minimo tempusculo dictaret.*

**tentatrix:** Aug. serm. 343, 10 *tentatricem mulierem reliquit*, Ps. Aug. serm. 34, 6; — *tentator* Hor., Vulg. et all. eccl.

**tinctio:** Ferrand. ep. ad Fulg. de duab. quaestt. 3 *ergo saluus esset, si nec ad ipsam tinctionem corporis peruenisset*, Fulg. Rusp. ad Ferrand. 2, „Barnab. ep.“

**Tingitanicus:** S. Ruf. breu. 5 *Mauritania*; — *Tingitanus* Plin. all. Cf. A p. 51, n. 47.

**tinnitor:** Vigil. Trident. ep. 2, 8 *noui tinnitor auditus, florulentae legis ruminator in gentibus.*

**tollae:** Isid. nat. rer. 44, 5 *tollae aquarum projectus, quales sunt in Aniene flumine quam maxime praecipites*; — cf. *tolli*, *tolles* (*tolles uel toles* = *tumor in faucibus* Marc. Emp. 15, p. 304 D all.), — *tolleno*.

**tolutari:** Dosith. ars p. 61 *tolutor, παίζω*.

**transcorporatio:** Intpr. Orig. in Matth. 38 *transcorporationes animarum post mortem*; — *transcorporare* intpr. Iren. I, 25, 4.

**transfingere:** Verecund. In Manasse orat. 2 *Deum sibi melius creditit inuocandum, quam alterum quemlibet nouo figmento transfictum* (Cod. transfinctum).

**transibilis:** Verecund. In cant. Jonae 14 *rerum transibilium diligere falsitatem, ib. inf. propter uolubilitatem transibilis uitae.*

**transpellere:** Schol. Germ. Arat. p. 48 Buhle *commoti uino praecordiaque transpulsi.*

**triformiter:** Diom. I, p. 335, — adi. p.

**triumphabilis:** Egesipp. III, 24 *amictus adoreis triumphabilibus*; — *trumphalis* (*corona . .*) uett<sup>16)</sup>.

16) Alias tales synonymarum aut certe contiguarum tam in -alis (-aris) quam in -abilis expressarum uocum syzygias infra scripsi (formas rec. diductis literis): *aequalis, aequabilis, — exitialis, exitiabilis, — genitalis, genitabilis, — innumerabilis, innumerabilis, — manalis, manabilis, — penetralis, penetrabilis, — perniciialis, perniciabilis, — rationalis, rationabilis (et irrationalis, irrationabilis), — socialis, sociabilis; — exemplaris, exemplabilis, — formalis, formabilis, — iugalis, iugabilis, — letalis, letabilis, — naturalis, naturalis, — nuptialis, nuptiabilis, — participalis, participabilis, — tonitruialis, tonitruabilis, — uo-*

*tubare*: S. S. Num. (10, 3) ap. intpr. Orig. in Matth. 52 (fac tibi duas tubas . .) et *tubabis in iis*, et aliq. subinde, it. ipse scriptor ib. *tubantes eos .. sacerdotum tubantium* (Vulg. uersu cit. ‘cum increpueris tubis’).

*tubicinatio*: Philastri haeres. 141 *de tubicinatione*, quae graece σάλπιξ dicitur, Rufin. Orig. in Num. hom. 27, 12 *Sephar*, quod *tubicinatio* appellatur; — *tubicinator* gloss., *tubicinare* Dion. Exig. Greg. N. creat. hom. 9 *neque tubicinare barbitum neruis, neque citharizare tubicines*.

*tunsio*: Aug. serm. 136, 2 *testimonium peccati nostri iunsione pectoris dicimus*, Ps. Aug. serm. 52, 1, Ps. Eucher. in Regg. comm. III, 9. Cf. obtunsio II s. u. obtusio.

*turpifacere*: Gloss. Labb. *turpifacio αἰσχροποιῶ*. Verbi facere cum praefixis denominatiuis compositi exemplis A ann. 46 ascriptis accedunt praeter istud recc. leuifacere, rectifacere, uett. sumptifacere Plaut. (c. acc., e. c. restim, cf. Trin. 250), & mansuefacere.

*tyrannizare*: Isid. hist. Goth. 49 *Hermenegildum .. imperiis suis tyrannizantem obssessum exsuperavit*.

*Vaniloquax*: Ps. Aug. serm. 290, 2 (homo christianus) *non debet esse uaniloquax et arrogans*. Cf. A, p. 67 sq., n. 57.

*uariabilis*: Acr. ad Hor. C. II, 6, 32 *uariabilis Fortuna*, Boeth. Arithm. II, 31 *mutabilis uariabilisque naturae*, ib. sup., 32, I, 1. Citabatur App. de mundo 3, sed ibi pro ‘uariabilis’ nunc ex codd. optt. auctoritate ‘uitiabili’ legitur.

*uenenator*: Aug. serm. 174 *uniuersam massam generis humani in homine primo uenenator ille percussit*.

*ueneratus*, u: [Rufin.] Comm. in Oseam I ad c. 2, u. 5—7 *amatores uocat uel gentium proceres, quorum consecratione profanata est, uel ipsos nationum deos, risu potius quam ueneratu digniores*. Haec uox addenda est annotatis ad u. proculcatus.

> *ueterescere*: S. S. Eccl. (9, 15) ap. Fulg. Rusp. De quinq. quaestt. 41

---

calis, uocabilis; — aeternabilis, aeternalis, — congregabilis, congregalis, — illocabilis, illocalis, — insociabilis, insocialis, — memorabilis, memorialis, — mercabilis, mercalis; — amicalis, amicabilis, — argumentalis, argumentabilis, — conditionalis, conditionabilis, — disciplinaris, disciplinabilis, — formicalis, formicabilis, — & imaginalis, imaginabilis, — initialis, initialis, — inordinatalis, inordinabilis, — mensuralis, mensurabilis, — naufragalis, naufragabilis, — ordinalis, ordinabilis, — passionalis, passionabilis, — pompalis, pompabilis, — proportionalis, proportionabiliter, — remedialis, remedabilis, — scripturalis, scripturabilis, — sensualis, sensuabiliter, — uenialis, ueniabilis, — umbraliter, umbrabilis. His haud ab re fuerit subtexere tum ea, quae cum possent in -alis figurari, expressa tamen exstant, quod sciamus, tantummodo in -abilis, ueluti uoluptabilis Plaut, sacrabiliter et uegetabilis recc., — tum ea, quae cum possent in -abilis inclinata esse, non comparent nisi in -alis declinata, ut exanimalis, intercalaris, oualis (ouare), subligar, rec. purificalis.

*uinum nouum amicus nouus: ueterescat* (Vulg.: *ueterascet*), et *cum suauitate bipes illud*, cf. 42 ex., Ps. Cypr. de XII abusiis 2 *membra exterioris hominis ueterescunt*, et ib. inf. [„Euang. Luc. 12, 33 codd. Rehd., Amiat., Fuld.“]; — *inueterescere* gl. Cyr. pro usitatiore forma *inueterascere* Cic. Caes. all., quam et idem gloss. agnoscit. Cf. ad ‘congelescere’ p. 5 sq. et ann. 3.

*uolator:* Aug. serm. 164, 5 *haec sarcina* (sc. *praecepta Christi*) *non est pondus onerati, sed alae sunt uolatori* (sic mss.)<sup>17)</sup>.

*usquequo* peruersim pro quousque relat. = quo adusque (uid. sup. s. u. quousque): Victorin. Petauion. († 303) schol. in Apocal. ex c. 12, 1. 2 (antiqua ecclesia) *gemitus et tormenta desiderii sui habuit, usquequo fructum ex plebe sua secundum carnem olim promissum sibi uideret, Christum ex ipsa gente corpus sumpsisse*, Mar. Victorin. (sec. IV med.) adu. Arium I, 28, Chronogr. (anni 354) ed. Momms. p. 640, 8 *usquequo exierunt filii Isr. de Aegypto anni CDXXX*, Rufin. (c. 345—410) intrpr. Orig. in Genes. hom. 13, 3 *permansit* (Paulus), *usquequo . . . in totius orbis latitudine ecclesias collocaret*, 12, 5, 15, 4 (i pro ‘usque adeo ut’ S. S. II Regg. 6, 25 ap. Ruf. Orig. in. Gen. 16, 3 *facta est fames magna in Samaria, usquequo efficeretur caput asini quinquaginta siculis argenteis*, — sed etiam Vulg. h. l. donec., cf. Rufin. hist. eccl. I, 15 ‘omnimodis insimulare eum apud principem aggrediuntur, usquequo humani corporis brachium loculo delatum Imperatori ostendunt’), id. Orig. in Num. hom. 27, 5 *ibunt de uirtute in uirtutem, usquequo perueniatur ad ultimum, imo ad summum gradum uirtutum*, 27, 12, in Exod. h. 6, 14 s. f., in Leuit. h. 7, 2, 10, 1 et 13, 1, Gaudent. serm. 5 p. 874 A t. XX Migne . . ., auct. Praedest. I, 43 *omnes criminosos eousque in gehenna decoqui, usquequo puri redditi possint inde egredi*, Ps. Aug. serm. 281 (Caesarii, qui fuit sec. V ex.), 3 *qui uult missas ad integrum . . . celebrare, usquequo oratio dominica dicatur et benedictio populo detur*, Caesar. reg. ad uirgg. 31, Plin. Val. II, 59 *fricato te, usquequo descendas in solio lauare*, Greg. Tur. (540—94) saep., e. c. H. Fr. VI, 33 *usquequo euauerunt*, Isid. quaestt. in Genes. 2, 1 *sexta* (aetas), *quae nunc agitur*,

17) Amantior figurae in -tor(-sor) *Augustinus*, praeter regesta per nos peculiaria ipsi: attestator, blasphemator, confortator, conuocator, deplorator, exaltator, fatigator, formidator, fotor, impletor, insultator, obeditor, progenerator, propinator, reconditor, sperator, uenenator, etiam alia generis eiusdem noue et, ut uidetur, solus usurpauit haud pauca, ueluti int. cett. captiuator serm. 134, 5 . . ., coronator s. 165, 4 . . ., effusor, excaecator s. 135, 1 . . ., exclusor, impeditor s. 352, 6, intellector s. 128, 8 ‘hic periculum est mali intellectoris’, 136, 4 . . ., murmurator s. 51, 30, 296, 6 . . ., numerator, oppignerator, plantator, plutor, praenuntiator s. 163, 11 al., superintendor. Alia praeterea, quae Augustino cum paucis communia sunt, ut cum Tert. comminuator, revelator all., in p. II digesta sunt circiter uiginti, quibus plura addere poteramus, ut u. c. praecantator (etiam Ps. Aug. s. 265, 3, al.). Vocabula aliorum generum, Augustino, quantum adhuc cognitum habeo, peculiaria, sunt e. c. haec e sermonibus eius sublecta: diffamatio s. 336, 3, euigilatio, obtritio, peremptio, ploratio s. 351, 1 al., ineffabilitas s. 117, 4, 126, 4, 7 al. (p. II s. u.), nngacitas s. 351, 5 al., respiramentum s. 232, 8 ex. et al., imperturbabilis s. 348, 2 al., inconuenienter, pernecare (etiam Ps. Aug. s. 217, 1).

*usquequo mundus finiatur*, quu. in Jos. 4, 1, de nat. rer. 1, 1 (diem appellari) *abusive a solis ortu usquequo ueniat ad occasum*, reg. monach. 6, 3<sup>18)</sup>; — usquequo interrog. pro quousque Vulg. Jerem. 4, 21 ‘usquequo uidebo fugientem ..?’, Judic. 26, 13; Herm. Past. I, 3, 6 ‘usquequo stultus es et insensatus, et omnia interrogas et nihil intelligis?’, Ps. Aug. serm. 120, 7 ‘usquequo moraris nuntium festinantem?’

*uxoratus*: Aug. serm. 93, 3 *maritatis feminis et uxoratis uiris.*

## INDEX VOCABVLORVM

### ADDENDORVM LEXICIS LATINIS.

1 = in: A h. e. Addenda Lexicis Latinis collegit annotatione illustravit C. P., Dorp. 1872, W. Glaeser (1 \* : ib. p. 1 \* sqq., 1 \*\* : ib. p. 17 \* sq.), — 2 = in: B h. e. Subindenda Lexicis Latinis a quinto potiss. p. C. seculi scriptoribus collegit C. P. (in Ephem. Acad. Scient. Petrop. tom. XVIII, p. 190—231), — 4 spicilegii sunt proxime edendi, — denique ea, quibus nullus ascriptus est numerus, in his Subrelictis Add. Lex. Lat. p. 1—25 insunt. Quaedam tamen uocabula consulto in indicem non recepi (cf. A in Corr. p. 22 \* : ad p. 12 \*).

**A**articulamentum 1. abbreviator. abdicabilis 1 \*. abhorrescere. abigare 1 \*. ableuare. ablingere 1. absedere. absentiare 4. absolutiuus. abstersio 1. acceptabiliter 1 \*. accersitor. accidia 1. acciduus 2. accommode 4. accubitor 2. acinaticus 1 \*. acora 1. acupictura 4. adaequitate 1 \*. adarmare 4. addiuinare 1 \*. adhumeralis 1 \*. adinspiratio 1 \*. adintelligere 1 \*. adiocari 4. adiunctiu 1 \*. adiuuamentum. adiuuatio. admentiri 1 \*. admonitiuncula 1. adnatio 1. adoperari 1. adopertio 2. adoptiue 1 \*. adordinatio 1 \*. adsubrigere 1. aduersarietas 2. aduersim 1. aduigilantia 2. adunatrix 1 \*. adunitio 1 \*. aegritas 1. Aeneanicus aequivortio 4. aequisonatio. aequivocatus 4. aeriuagus 2. aesculari 1. aesculator 1. aeternaliter 1 \* et 4. aeterne 2. aeuitas 1 \*. affectionalis 2. affirmatus, u. affluitas 1 \*. aggeniculare 1 \*. agnifer 1 \*. agnotinus. alapizare 2. aleatrix. alienator 2. aliquiscunque 1. allateratus 2. allator 4. allectorius 1. allocutiuus 1. aloigiari Dosit. p. 59 Keil (*ἀλογεῖσθαι*). alopeciosus 1. alphita 1. alisitare. altifrons 2. altiuagus 1. amandula 1. amantia. amarizare 1 \*. ambidexter 1 \*. ambisinister 1 \*. amplectibilis 1 \*\*. anaclitus 2. anaematus HA p. 39. anatolicus 1 (p. 22 \*). anastomosis 1 (p. 21 \*). anathemare 2. ancillare. ancoratus 1 \*. angarizare 2. anguiger 2. angulariter. anisatum 1 \*. annutatiuus. antenuissimus. annulla 1. aphita: uid. alphita. apomeli 1. apostema, ae 1. apostolice 4. apotelestos 1 \*. apotherisis 1. appetitorius 4. applausus 1. appretiatio Mar. Merc. Procli hom. s. 13. aptabilitas 1 \*. aptabiliter 1 \*. aqueus 1. aquilonaris. aquilonianus 1 \*. aquimanile et -lis. arctatio. argentile 1. argumentuose 1 (ann. 26). armator et -trix. arsura 1. artificalis 1. artigraphia 1. asellifer 2. asellio 2. aspectio 2. assecutio 1 \*. assellatus 1. assisa. assolidare 2. assolitus 1. assuefactor 2. assultatio 4. assumptrix. astago 1. attactus 1. attestator<sup>19)</sup>. attonsi. auricularis 1<sup>20)</sup>. autogenitor 1 \*.

18) Cf. quam prius pro priusquam Prop. III, 10, 10 *illum* (Tithonum Aurora) *saepe suis decedens fouit in ulnis*, quam prius adiunctos sedula lauit equos, — quam postea pro poste aquam Capit. Ver. 4, 5 *tantae luxuriae fuisse dicitur*, ut etiam, quam postea de Syria reddit, popinam domi instituerit.

19) Add.: *attitulatio*: Rufin. prol. ad Orig. comm. in Cantic. Canticor. p. 290 t. 14 Orig. Opp. ed. Lommatzsch de *attitulatione libelli ipsius*, cur *Canticum Canticorum superscriptus sit*, ib. p. 323 *attitulationibus librorum suorum*, p. 324 de *attitulatione ac superscriptione libri*, p. 326 (attitulare Rufin. Orig. in Leuit. hom. 16, 6 ‘Esaias .. sub uisione quam attitulauit quadrupedum in deserto’, id. prol. ad Orig. in Cant. p. 309 ‘Prouerbia attitulauit librum suum’ al. Cassiod. hist. eccl. Beda).

20) Add.: *aurorescere*: Rufin. Clement. Recogn. X, 53 cum iam auroresceret.

**B**acchator 1 \*\*. balsamaria 1. basilicarius. basilicula 2. bellificare 1. benedicibilis. beniuolenter. bestialiter 2. bibitio 1 \* et 2. bicubitalis. bifidare 1 \*. binatim 4. bisextum 1. bistacia 2. biumbris 2. blasphemator 2. blasphemiter 1 \*. blateare 2. blatta 1. blutthagio 1. bombulio 2. boniloquus 1 (p. 94, ann. 78). breuialis. breuiatim. bricumum 1. bronchus 1 \*. brumosus. buccellago 1. bulimiacus 1. buxtula 1.

**C**achecticus. cacologia 2. caementatus 4. caerulosus 2. calcatio. caliginare 1. calliomarcus 1. calocatanos 1. camia 1. campanella 1. canceratio 2. cancrosus 1. candidatio 4. caniculatus 1. canonizare. cantula 1. capessibilis 4. capreolinus 1. capsilago 1. capticius 4. captiatrix 1 \*. captiorum. carboneus 2. carcinosus 1. caritatue 2. carnismus 2. carpobalsamum 1. castidicus 1 \*. castrametari. castrianus HA p. 9. casnarius HA p. 10. catathematizare 1 \*. catechizatio 2. catinus 2. catuligenus 2. cauditus 2. cauitas 1. causidicari. causos 1. cautelitas 1. celatio. celebriter 2. celsithronus 1. celtica subst. 1. centennis 1. centenodius 1. centipedium. centupliciter. cerasium 1. cerebrismus 1. \* cerebrum 1. cerio 1. ceticus 1. chalcolibanum 1 \*. cholagogus 1. chymius 1. cibulla 1. cicerculum 1. cicis 1. cinerulentus. circio 1. circumfinire 1 \*. circumfinium 1 \*. circumfossio. circumgyratio 4. circummouere. circummundare. circumobuersari 1 \*. circumquaque 1. circumrotundare 1 \*\*. circumrumpere. circumsoluere. circumspectabilis 2. circumvolutatio 1. citrinus 1. clamatio 1. clarificus 2. clauiculus 1. cleptare 1 \*. clibanites 1. coabducere 1 \*. coaccusare 4. coacticus 2. co-actio 1. coactius 2. coadesse 4. coadimplere 4. coaedificatio 1 \*. coaeternalis 2. coaeternitas 1. coaeuitas. coalumna. coamens 2<sup>21</sup>). coapostata 2. coappellare 4. coaptabilis 4. coarianus 2. coauspicari 1 \*. cocceus HA p. 10. codia 1. coemittere 1 \*. coerudire 1 \*. coessentialis 2. coexcitare 2. coexsistere 1. coextinguere 4. coexultare 2. coextendere 2<sup>22</sup>). cognitrix 1. cognoscentia 1. cohaereticus 2. cohimentia 4. coidololatres 2. coimitator 2. coincipere 1 \*. coinfantari 1 \*. confirmari 1 \*. cointelligere 4. colatorium 2<sup>23</sup>). collector 2<sup>24</sup>). collucernatio 2. collutare 2. colossus adi. HA p. 43. combinatio. combblasphemus 2. comestura 1. comitua 2. commaculatio. commaculator. commassare 1 \*. commasticare 1 \*. commercialis. comminanter. comminax 1 (p. 21 \*). comminister 4. comminutio 2. commissalia. commortificare 2. communificare 4. compallidus 2. compassor 2. compassum subst. 1. compastoralis 1. compatrioticus 4. comperditus 2. compersonalis 4. compestilens 2. complanatio 2. complasmare 4. completive 4. complexatio 1. complexibilis 1. complosio 1. compositorius 2. compraesens. comprehensibilitas 4. compromissio. compromissius. compsaltere. compugnanter 1. compulsus, u. concarnifex 2. conceptim 1. concite 1 \*. conclusius 4. concoenare 4. concolere 4. concolligere 1 \*. condegere. condescendibilis 2. condescensio 4. condensorie 4. condesperatus 2. condimentarium. condiscumbere. condonatrix 1 \*. confaecatus 1. confamulus 2. confibulare. confibulatio. confluxus 2. confortator. confragositas 1. confusibilis 2. confusibiliter 2. congelescere. congloriari. coniudicare 4. coniugabilis 1. conquaestio 2. conquaternare 2<sup>25</sup>). consacrilegus 2. consancire 1 \*. consceleratus 2. consecutinus 2. consecutatus, us. consecutor 1. consedulitas 1 \*\*. congregatus 1 \*. conseminatus 1 \*. consempiternus 2. conserpentinus 2. conserualus 2. conspectabilis. > conspisare 1 \*. constitutionarius 1. constupratio. consubstantiatus 1. consummate. consummatorius 2. consuscitare. contemporamentum 1 \*. contemplatorius 2. contenebratio 1. contenebricare 1 \*. contestatorius 2. contionabilis 1. contradictiuncula 2. contradistare 1. contraiacens. contranglutare 1. contrariari 1. contumeliari 4. contyrrannus 2. conuegetare 1. conuegetatio 1. conuersia 1. conuiciose. conuictiuus. conuiperinus 2. con-

21) Add.: *coangustatio*: Hier. Orig. in Ezech. hom. 9, 1 *principium malorum omnium est multitudo, principium autem bonorum coangustatio et a turbis in singularitatem redactio.*

22) Etiam Mar. Merc. Blasph. Nestor. p. 913 Migne si quis .. in infinitum incircumscripatam diuinae naturae coextenderit carnem.

23) Et. Dionys. Exig. intrpr. Greg. Nyss. creat. hom. 9 p. 359 C tom. 67 Migne.

24) Add.: *collibratio*: Rufin. Orig. in Cant. II p. 397 (sol .. ea corpora, quibus a summo libramine insederit, infuscat et urit,) ea uero, quae procul sunt et ab ista collibratione longius posita, conseruat in candore suo, nec .. urit ea, sed illuminat.

25) Et. Primas. in Apoc. IV, ad 14 *quaternitas conquaternata.*

uiuolum. conuocator. conuolutus, us. 1. coobaudire 1 \*. coomnipotens 2. coopifex 2. corcedo 1. cordatio 2. corporealis 2. corpulentius. corrationaliter 1. correferre 4. correptine 1. correptor 1. correquiescere. corresurgere 4. corrigium 1. corruptilis 4. corsaluum 1. cossyphus 1. counare 1. counire 1. counitio 1. coxendicus. cratella. crementare 1 \*. crepatio 1. crepitatus, us. cresibilis 4. cristiger 1. crucicola<sup>26</sup>). crucifixor 2. crudelescere. crustulatus HA p. 11. cubitatio 1 \*. cucurbitella 1. cicutia 1. cumulanter. cura masc. HA p. 9. curtalinus 2. cyclamen 1.

**D**actylosus 1. daphnis 1. dapsilitas 2. datrix Mar. Merc. Nestor. c. Pelag. tr. 2, 6. dealitas 2. deardere 4. debilo 1. debuccellatus 1. debullire 1 \*. decamyrum 1. deciformis 1 \*. decolligare 1 \*. decoratio 2. > defatiscere. defectibilis. deficax 1 p. 21 \*. defiteri 1 \*. > defigurare 1 \*. deflorator 2. dehonesta 1. deicida 4. deificatio 2. deiloquus 4. Deipartrix 4. Deipassianus 4. deitare 4. delatrare. delaauatio 1. deliacus HA p. 43. deliciose 1 \*. delinitio Meliton. Clau. IV, 11, 2. delinitrix 1. delubricare 2. demessio 2. denariarius. denegatio 2. denotabilis. denumerare 2. denuntiatus, us. deorbitare 1. deosculatio. deplorabilis. deplorator. deprehensibilis 2. depressor 1. derasio 1. deriuabilis 1. derogatiuus. descriptionalis 1 \*\*. deseruitio 1 \*. desiderator 2. desociare 1. desperaliter 1 \*\*. desubitare 1. desudescere. desuspicere 2. detabescere 1 \*. deterioratio 1. detestabilitas 2. detutio 1. deuiabilis 1. diacalamithes. diacitrium etc. 1. diachrisma 1. dialemma 1. dialogismus 1. diarrhoicus 1. diffluentia 2. diffugare 4. digestor 1. dignificare 1 \*. diiugium 1. dilapsus, u 2. dilectus, us. 1. dilemmatus. dilucidare 2. dipsychus. dipsychia. director 1 \*. > discalceare. discordiose 4. disertulus 4. dispensatore 1. distemperantia 1. distensio 1. diuinaculum. diuisibiliter 2. docibilitas. doctrinatus 1 \*. documentare. dorsuosus 1. dropacista. dubitate 4. dulcificare 4. duodecastylus 1 \*. duodeciformis 1 \*. duricors 1 \*.

**E**ffectuosus 1. efferascere. efficiabilis 2. efflatio. efflatus, us. 1. effluentia 1. effrigere 1. effulgenter 1. effulgentia 1. effulsio 1. effutilis 1. > electuarium 1. elicitor 2. elisor 2. elucubratio 2. eludificari 2. elusio 1 \*. emadescere 1. > emedullare 1 \*. emissaculum 1. emollescere 1 \*. emplasma 1. enclopismus 1. encryphias. enuntiatus, us. epistolarter 1 \*. equistrator. erector 1. ereptare 1 \*. errollus 1 \*\*. essentialitas 1. essentitas 1. estus part. perf. 1. euchymus 1. euersare. > eupatorium 1. exaggeratorie 1 \*. exaltator. exanhelare 1 \*. exaporiari 2. exarguere 1 \*. exalceatio 1 \*. excandidare. excarnatus 1. excelsitudo 1 \*. excisor. excitor. excitus, us. 1. exclamatue 1. excolatio 1 \*. excolatorium 4. excrepare. excretio 1 \*\*. excubator 2. excubialis 2. excusamen 1 \*. exinanitas. exoccupare 4. exoperatus pass. 1 \*. exordialis 2. > experimentare 1. expetenter 2. explanatiuus. exprobranter. expulsorius 4. exsalare 1. exsaturatio 1. exsecratus, us. exsecutrix 2. exsequenter 1. exsiliatus 1 \*. exsistentia 2. existentialis 2. existentialiter 2. exsistentialitas 2. extirpatrix 4. extrangulare 1 \*. exsufflatio 2. exsuffocare 1 \*. exsulator 4. exsupera 1. extemporaneus 1 \*. extricatio 1.

**F**abulatio 1. fabricamentum 4. fabricius 1. fabrilitas 2. facia 1. factrix 2. falsor 1 \*\*. famatus 1. famen. famidus 1. familiosus 1. > fare. fascinator Prim. in Gal. 4. fatigator. fauillatim 1 \*. fellineus 1 \*. femorale 1. fenugraecum 1. fermentatio 4. fermentatrix Spicil. Solesm. III, p. 451. fermentosus 1. festino adu. HA p. 15. ficta. fictiosus 1. fictorius 1. figuralis 1 (cf. p. 13 \*). figuraticius 4. figuratim 1 \*. figuratus, u. filialitas 1. fixio 1 \*. flagitiare. flammifluus 2. flammipotens 2. > fluxio. foeterosus 1. foetus 1. foliolum 1. forensis (foris) 1. formatilis 1. formidator 2. fotor 2. frequentatus 2<sup>27</sup>) > frigi 1. frontispicium 4. fructuositas 1. fruitio. frustratorie 2. fumigatio 1. fundamentalis 1. furculosus 1. fuscatio<sup>28</sup>).

26) Ad 'crucicola' p. 7, l. 15 ind.: + corrupticola Liberati breuiar. 19 'alios quidem fecerunt Corrupticolas appellari, alios, nimurum incorruptibilis (corporis Christi) assertores, phantasiastas', ib. 20, . . lignicola Vita Caesar. I, 5, 42 praedicationes . . contra augures, lignicolas, fonticolas . . facit.

27) [Rufin.] Comm. in Oseam III, ad 10, u. 7 et 8 delubris quorum frequentatu consueuerat me asperare.

28) Rufin. Orig. in Cant. II p. 376 pro nigredine uel fuscatione sua, gloss. (fuscator Lucan.).

**G**aitanum 1. galacticus 1. gallacia 1. gallicaris 1. galnapis. gamella 1. genesiacus 2. genitalicus HA p. 15. genuflexus 4. gera 1. geusia 1. gibbosus 1. gigarus 1. gignibilis 1. gilarus 1. gladiatorialius 1. > gladiola 1. glarare 1. glatire 2. glebatis 2. glebositas 1. globatio 2. glorificatorius 2. glycy 1. gratafice. gratulanter 1. gruinus 1. gynaecia 1.

**H**aemorrhoa 1. haesitanter. hemitritis 1. Herculianus HA p. 16. heredificare 1 \*. herinus 1. hircigena 2. historialiter 1. historiola 1. > holochrysus 1. homicidaliter 1 \*. hominicola 4. homousianista 2. Homuncionita 4. honorabilitas 4. hortatiue 1. humecta 1. humidare 1. hydri 1. hylicus 1. hymnidicus 2. hypersarcosis 1. hypocausterium 1. hypopium 1. hysex 1. hysicinus 1.

